

5817.
C. 500

à M^r. le Prof. Mirbel
hommage de l'auteur

C

NOVARUM STIRPIUM
BRASILIENSIVM
DECADES

AUCTORE

JOANNE CASARETTO M. D.




13. 65

GENUAE

TYPIS JOANNIS FERRANDI

Platea S. Matthaei



NOVARUM STIRPIUM
BRASILIENSIVM
DECADES.

263
C37
1842

NOVARUM STIRPIUM
BRASILIENSIVM
DECADES

AUCTORE

JOANNE CASARETTO M. D.

no name published

B. 65

GENVAE

TYPIS JOANNIS FERRANDI

MDCCCLII.



Specimen quoddam botanicis offerre cupiens praestantiorum plantarum, quas in itinere ad oras Brasiliae anno 1839 ineunteque 1840 REGIIS sub auspiciis ac duce SERENISSIMO SABAUDIAE-CARINIANI PRINCIPE EUGENIO peracto collegi, operae pretium duxi, antequam ipsarum omnium integram et rite ordinatam enumerationem absolvam, novarum detectarum stirpium delectum efficere ac seorsum in lucem proferre. Utque rei satius consulerem, eas totidem Decadibus singillatim edendis comprehendere statui: quarum prior nonnullarum plantarum descriptionem sistet jampridem a me exhibitam III.^o Italico Conventui elapso anno Florentiae habito, modo tamen recensitam ac nonnihil castigatam; ceterae vero alias ineditas exponent, ac prope diem prodibunt.

Orae Brasiliensis autem partes quas mihi explorare licuit, sunt: sinus Fluminensis, montes vulgo *Serra dos Orgãos*, sinus Bahiensis, atque insula S. Sebastiani in provinciâ S. Pauli sita. Vix memorare fas est S. Catharinae insulam et *Pernambuco*, ob brevissimam illic moram. *Montevideo* etiam adii, ac novas aliquot stirpes ibidem repertas, exemplo fretus summorum virorum qui illius regionis Floram cum Brasiliensi consociandam duxerunt, huc intromittere vel ipse non verear. Iis denique nonnullas adjiciendas putavi aliis in Brasiliae plagis lectas, quas partim ab eximio viro atque amicissimo *L. Riedel*, partim a strenuo rerum naturalium collectore *P. Claussen*, dum *Rio de Janeiro* morabar, accepi.

In specierum descriptione brevitati consulam: earum tamen phrases diagnosticas satis aptas atque absolutas reddere curabo. Nomina vulgaria et usum, si quem habent, haud praetermittam. Index systematicus opus perficiet.

Dabam Genuae idibus Maii 1842.

DECAS I.

—

1. TROPAEOLUM BRASILIENSE.

T. volubile glaberrimum; foliis peltinerviis palmatilobis, lobis integris rotundatis, apice subtruncatis ac in medio mucronulatis; petalis 2 superioribus incisis, 3 inferioribus paullo minoribus spathulatis fimbriatis; calcare recto corollâ subduplo longiore.

T. Brasiliense *Casar. in Atti della III.^a Riunione degli Scienziati Italiani, Firenze 1841 p. 512.*

Legi circa montem *Gavia* prope *Rio de Janeiro*.

Folia basi transversim truncata, 5-loba, lobis tribus interioribus paullulo magis latis quam longis. Ramuli floriferi foliis minoribus instructi. Flores dilute flavi, petalorum ungue calycisque lobis intus punctis rubellis aspersis.

Obs. Proximum *T. adunco* Smith (*T. peregrino* Jacq. *schönbr.* 1. p. 51. tab. 98. excl. syn. Linn. et Feuill.), sed diversum.

2. SIMABA LONGIFOLIA.

S. caule subsimplici; foliis impari-pinnatis multijugis (14-18-jugis) foliolis oppositis suboppositisve subsessilibus oblongis, apice calloso-acuminatis, basi saepius inaequilateris, coriaceis, supra glabris nitidis, subtus minutissime puberulis glabratisve; paniculâ terminali magnâ, rhachi ferrugineo-pubescente.

S. longifolia *Casar. l. c. p. 513.*

Reperi in monte *Corcovado* prope *Rio de Janeiro*.

Arbuscula 5-8-pedalis vel paullo altior, elegantissima; caule simplici vel subsimplici, apice dumtaxat folioso. Folia amplissima: foliola 4-7 poll. longa, 9-14 lin. lata. Flores flavescentes, extrinsecus sericei, melliodori.

Ligni sapor amarus.

3. SIMABA LAEVIS.

S. caule arboreo; foliis impari-pinnatis paucijugis (2-4-jugis), foliolis oppositis subsessilibus obovatis vel obovato-ellipticis, apice rotundatis ac in medio brevissime obtuseque cuspidato-acuminatis retusisve, basi plus minusve cuneatis, coriaceis glaberrimis, supra nitidis, subtus glaucescentibus; paniculâ terminali foliis longiore, inferius saepe foliolatâ, rhachi angulatâ glabrâ.

S. laevis *Casar. l. c. p. 513.*

Reperi in sylvis maritimis (vulgo *Restingas*) inter *Copacabana* et *Lagoa de Rodrigo de Freytas* prope *Rio de Janeiro*.

Arbor 20-30-pedalis, valde ramosa. Foliola 2-3 poll. longa, $1\frac{1}{4}$ - $1\frac{3}{4}$ poll. lata, lateralia in petiolulum brevissimum attenuata, impar longius petiolulatum ac basi magis cuneatum. Flores flavescentes.

Ligni sapor amarissimus. Vires inquirendae.

4. SIMABA MAIANA.

S. caule subsimplici; foliis impari-pinnatis multijugis (7-10-jugis), foliolis oppositis subsessilibus ellipticis vel oblongo-ellipticis, apice breviter cuspidato-acuminatis, subcoriaceis, supra glabris nitidis, subtus minutissime puberulis glabratisve; paniculâ terminali foliis subbreviore, rhachi ferrugineo-pubescente.

S. Maiana *Casar. l. c. p. 513.*

Reperi in sylvulis arenosis maritimis vulgo *Restinga de Tijuca* prope *Rio de Janeiro*.

Arbuscula 8-12-pedalis, habitu ad *S. longifoliam* accedens. Foliola 2-5 poll. longa, 1-2 poll. lata. Flores flavescentes melliodori.

Lignum hujus speciei sapore praeditum est minus amaro quam *S. longifoliae* et *S. laevis*.

In honorem dixi clar. viri Emilii Joachimi *da Silva Maia* Med. Doct. ac in urbe *Rio de Janeiro* scientiarum naturalium Professoris, qui de Materia Medica Brasiliensi egregie disseruit in diario cui titulus: *Revista Medica Fluminense*.

5. CINCHONA RIEDELIANA.

C. foliis petiolatis late ovatis obtusis basi subcordatis coriaceis, supra glabris, subtus tomentosissimis nervisque valde prominentibus lineatis; paniculis subcorymbosis terminalibus minutissime puberulis; calycis limbo campanulato breviter obtuseque dentato; corollâ extrinsecus brevissime tomentosâ, lobis supra hirtellis; antheris ad faucem corollae subsessilibus subexsertis.

C. *Riedeliana* *Casar. l. c. p. 513.*

Nom. vulg. *Quina*.

Crescit in sylvis primaevis montis *Tijuca* prope *Rio de Janeiro* (Riedel).

Arbor 40-50-pedalis (ex Ried.). Folia $3\frac{1}{2}$ - $5\frac{1}{2}$ poll. longa, $2-3\frac{1}{2}$ poll. lata: petioli semipollicares. Flores albi.

Nomine insignivi clar. strenuissimique in Brasiliam peregrinatoris Ludovici *Riedel*, qui primus hanc stirpem reperit, ejusque exemplaria mecum communicavit.

6. CHAPTALIA ARANEOSA.

C. foliis petiolatis ovatis vel ovato-oblongis subdentatis coriaceis, supra araneosis demum glabratis

nitidis, subtus una cum petiolis scapo involucroque cano-cinereove-tomentosis; involucris foliolis linearibus oblongis margine subconvolutis; capitulo nutante.

C. araneosa *Casar. l. c. p. 514.*

Crescit in campis igne quotannis crematis ac in montibus *Serra do Ouro Preto* et *Serra da Caraça*, in Brasiliae provinciâ *Minas Geraes* (Claussen).

Radix perennis. Scapus foliis subduplo longior, dodrantalis pedalisve. Flores albi.

7. CHRYSOPHYLLUM GLYCYPHLOEUM.

C. foliis petiolatis oblongis vel oblongo-lanceolatis, basi attenuatis, glaberrimis, concoloribus, supra nitidiusculis, subtus opacis; fructu ellipsoideo glabro.

Hivurahé Thevet Les singularitez de la France Antartique (1.^a edit. Paris 1558) p. Ejusd. edit. Veneta 1561 cui titulus: Historia dell' India America detta altramente Francia Antartica, p. 212. — Jean de Lery Histoire d'un voyage fait en la terre du Brésil (1.^a edit. La Rochelle 1578) p. Ejusd. Historia navigationis in Brasiliam (in collectione Theodori de Bry Americae 3.^a parte, Francofurti 1592) p. 197. — Clus. Exot. (1605) lib. X. p. 315. — Dalech. Hist. gener. plant. (edit. 1615) vol. 2. p. 724. — Joan. de Laet Novus Orbis seu descriptio Ind. Occid. (edit. Lugd. Batav. 1633) p. 562. — Prévost Hist. génér. des voyages, edit. in 4.^o vol. 14. (1757) p. 309., edit. in 8.^o vol. 54. (1758) p. 363.

Ibirae *Piso Hist. nat. Bras. (edit. 1648) p. 71. — Marcgr. Hist. rerum nat. Bras. (edit. 1648) p. 101.*

Hivurahe Amer. Pruni fructu J. Bauh. Hist. univ. plant. (1650) vol. I. cap. XV. p. 200.

Ibiraée sive Guaiacum *Piso de Indiae utriusque re natur. et med. (edit. 1658) p. 146. cum icone.*

Hivurahe pruni fructu *Chabr. Stirp. ic. et sciagr. (edit. 1677) p. 596.*

Pometia lactescens *Vell. Fl. Flum. icon. vol. II. (1827) tab. 87.*

Chrysophyllum *Riedel in Taunay Manual do Agricultor Brasileiro (2.^a edit. Rio de Janeiro 1839) p. 318.*

C. glycyphloeum Casar. l. c. p. 514.

Nom. vulg. arboris et corticis (idiomate Brasiliano) *Buranhé*¹, *Buranhem*², *Guranhem*, *Guaranhem*³, *Gurenhem*.

Nom. vulg. et offic. corticis (Lusitanice) *Casca doce.*

Habitat in sylvis primaevae circa *Rio de Janeiro.*

Arbor magna excelsa. Folia una cum petiolo 3-5 poll. longa, 8-12 lin. lata, subparallele venosa. Fructus edulis.

Obs. Lignum hujus arboris praestantissimum atque ad navale praesertim opus utilissimum.

Cortex autem ob salutare ejus vires maximi apud incolas habetur: is recens detractus, valde crassus ac ponderosus est, intus ruber, lactescens, saporeque initio dulci pergrato (unde nomen vulgare derivatum *Casca doce*, hoc est cortex dulcis) deinde aspero atque adstringente. Ejus infusum vel decoctum vulgo in morbis faucium et pectoris adhibetur, ac in haemophthisi praesertim a medicis nonnullis Brasiliensibus admodum commendatur.

Ipsa ego reperi hanc arborem in monte *Corcovado* apud *Rio de Janeiro*, speciminaque corticis, ut analysin postea curarem, legi: deinde vero a clar. ipso Riedelio qui eam ad *Chrysophyllum* genus pertinere jampridem in opere superius

¹ CASAL *Corografia Brasilica* 1.^a edit. Rio de Janeiro 1817 tom. 1. p. 96. — 2.^a edit. Rio de Janeiro 1853 tom. 1. p. 77.

² RIEDEL l. c.

³ RIEDEL l. c. (errore fortasse typographico *Guarahem*).

allato nuntiaverat, exemplaria cum fructibus accepi, quorum ope speciei diagnosin sistere licuit.

Modo autem ex perquisitionibus peractis in operibus eorum qui primi Brasiliam adierunt ac naturalem ejus conscripserunt historiam, omnino suasum mihi est hanc esse eandem illam plantam de quâ mentio fit apud Thevetum et Lerium sub nomine *Hivurahe*, Pisonem vero et Marcgravium sub nomine *Ibiracae*, locis a me superius indicatis. Horum auctorum equidem descriptiones cum eâ prorsus conveniunt, ipsaque icon a Pisone in 2.^a sui operis editione prolata, etsi rudis, satis apta tamen mihi videtur. Teste Theveto (qui sinum *Rio de Janeiro* appulit anno 1555), ejus cortex eximium barbaris, qui illas tunc oras incolebant, perhibebat remedium adversus luem veneream; Piso autem (qui ante dimidium saec. XVII. diu in Brasiliâ una cum Marcgravio commoratus est, ac ibidem quoque medicinam fecit) non solum in lue venereâ, sed etiam in pectoris et jecinoris affectibus, in catarrhis, in veteribus viscerum obstructionibus, aliisque morbis optime convenire asserit, immo omnibus artis medicae cultoribus ulteriorem ejus usum suadet.

8. STRYCHNOS GOMESIANA.

S. caule scandente inermi; ramis brachiatis cirriferis; foliis junioribus lanceolatis vel ovato-lanceolatis, adultis ovatis vel late ovatis utrinque acutiusculis, demum obtusis ac interdum subrotundis, triplinerviis, glabris, supra nitidis; floribus cymoso-corymbosis terminalibus; corollis extrinsecus hirtellotomentosis, fauce barbatis; baccis polyspermis.

S. *Gomesiana* *Casar. l. c. p. 515.*

Nom. vulg. (Lusitanice) *Cruzeiro.*

Reperi in sylvis circa *Rio de Janeiro*, ac praesertim in monte vulgo *Morro de Babylonia.*

Frutex. Folia breviter petiolata, omnino glabra vel subtus ad

nervos vix puberula. Flores albo-lutescentes. Fructus ovato-subrotundi.

Obs. Brasiliani huic plantae vim febrifugam tribuunt.

In honorem dixi clar. viri *Ildefonso Gomes* Med. Doct. ac eximii rei herbariae cultoris in urbe *Rio de Janeiro*.

9. ALCHORNEA JANEIRENSIS.

A. foliis petiolatis ovatis vel ovato-oblongis, dentato-serratis, paullo supra basin triplinerviis, glabris; floribus masculis secus spicas simplices terminales axillaresque glomeratis; spicis foemineis simplicibus axillaribus; capsulâ dicoccâ.

A. *Janeirensis* *Casar. l. c. p. 515.*

Reperi in sylvis circa *Rio de Janeiro*, ac praesertim in monte vulgo *Morro de Babylonia*.

Arbor medioeris dioica. Folia $1\frac{1}{2}$ - $2\frac{3}{4}$ poll. longa, 9-15 lin. lata; petioli 3-8 lin. longi.

Obs. Species affinis *A. castaneaeifoliae* *Adr. Juss. (Hermesiae castaneaeifoliae Humb. et Bonpl. pl. aequin. vol. I. p. 162. tab. XLVI.)*; sed foliis minus elongatis, triplinerviis, haud vero uninerviis (ut apparent in allatâ figurâ), eorumque dentibus minus inter se dissitis, muticis neque mucronatis, aliisque notis longe diversa.

10. FICUS ARPAZUSA.

F. glaberrima; caule alte super arbores scandente ac radicante; foliis ovatis vel ovato-ellipticis, apice breviter ac obtusiuscule cuspidato-acuminatis, basi rotundatis subcordatisve, integerrimis complicatis subcoriaceis, supra obsolete bullulatis minutissimisque punctulato-granulatis; receptaculis axillaribus geminis globosis umbilicatis calyculatis pedunculatisque, pedunculis petiolo 3-4-plo brevioribus.

F. *radicans* *Casar. l. c. p. 515.*

Nom. vulg. *Cipó Matador*.

Reperi in sylvis primaevae circa *Rio de Janeiro*.

Folia 3-5 poll. longa, 1 1/2-2 1/2 poll. lata, supra nervis subparallelis ac paullo magis quam subtus manifestis instructa, subtus reticulatim tenuissimeque venulosa: petioli circiter pollicares.

Obs. Arbor pseudoparasitica, crasso et procero quidem caule praedita, sed debili ac nonnisi aliarum arborum fulcro sustentari apto. Eas proinde arripit, radit, excurrit, ac iteratis validarum aerearum radicum ope per intervalla amplexibus firmiter ac tutissime ascendit, donec earum summitates attingat, ipsarumque frondibus suas quoque frondes immisceat. Sic magna arboribus in sylvis infert damna et aerumnas; namque eas vel corrumpit, vel totas obtegens suffocat necatque, vel paullatim ad humum inclinat et sternit, vel tandem proprio ipso pondere conterit: unde nomen vulgare apud incolas derivatum *Cipó Matador*, hoc est vitis vel hedera enecans.

De hac singulari stirpe aliquis jam quidem sermo erat in operibus clarissimorum virorum qui hocce aevo Brasiliam perlustrarunt, et antiquissimas ac mirificas ejus sylvas descripserunt; sed nemo hactenus (quod sciam) ullam ipsius diagnosis evulgaverat.

Nomen *radicans* imprimis huic plantae a me inditum, mutare coactus fui, utpote quod jam a *Desfontaines* alii speciei impositum.

DECAS II.

—

MENSE MAJO 1842.

—

11. DAVILLA LATIFOLIA.

D. glaberrima; caule scandente; foliis late ellipticis integerrimis coriaceis, utrinque nitidis, supra exquisite reticulatimque venosis, subtus nervis valde prominentibus lineatis; racemis compositis, e basi ramosis; foliolis calycinis exterioribus orbicularibus adpressis, interioribus hemisphaericis margine semireflexo sibi invicem applicitis.

Crescit prope *Rio de Janeiro*.

Frutex sarmentosus. Folia 5-10 poll. longa, 2 1/2-5 poll. lata, complicata, nervo laterali cincta, integerrima seu venulis ad marginem confluentibus minute ac obsolete crenulata: petiolus 6-12 lin. longus. Pedicelli fructuum 2-3 lin. longi: foliola 2 calycina pericarpica valde crustacea, diametro semipollicaria: antherae ovato-oblongae, connectivo apice haud producto. Pistilla 1-2: stylus sublateralis.

Species insignis omnium partium glabritie, magnitudine, foliisque supra adpresse pulcherrimeque reticulatis; formâ calycis referens *D. flexuosam* Aug. St.-Hil., sed ab eâ longe diversa.

12. DAVILLA ITAPARICENSIS.

D. caule fruticoso scandente; ramulis retrorsum scabris; foliis ellipticis integerrimis glabris asperri-
misque, nervis prominentibus parallele lineatis; paniculis terminalibus axillaribusque laxiusculis multifloris; foliolis calycinis exterioribus subdel-
toideo-rotundatis margine revolutis, interioribus

vix inaequalibus margine sese invicem intus excipientibus, conjunctim subpyriformibus, extra scabridis.

Reperi in insulâ *Itaparica* ad ostium sinus Bahiensis, in maritimis, una cum *D. flexuosâ* Aug. St.-Hil. Utrasque legi cum fructu mense Februario.

Rami graciles. Folia saepius late elliptica, valde obtusa, aut vix acuta, margine subrevoluta, 2-4 poll. longa, 1-3 poll. lata, subtus tantum ad petiolum et nervos pilis adpressis strigosis, parum vero conspicuis, instructa: petiolus 6-10 lin. longus. Pedicelli fructuum 3-5 l. longi, incurvi: foliola 2 calycina pericarpica minus crustacea quam in specie praecedente, et diametro vix 3-lineari; quorum alterum paululo majus margine haud reflexo, excipit alterum minus margine omnino reflexo. Antherae ovato-oblongae, connectivo in mucronem minimum vix producto. Capsula unica.

13. POLYGALA PACHYRRHIZA.

P. radice crassâ repente nodoso-filipendulâ, nodis oblongis; caulibus suffruticulosis erectiusculis subsimplicibus teretibus gracilibus; foliis subsessilibus ovato-lanceolatis glabris pellucidis; racemis terminalibus laxiusculis; calycis foliolo postico basi gibbo; alis obovato-ellipticis rotundatis corollam vix superantibus; carinâ imberbi 3-lobâ; capsulâ pedicellatâ retusâ cuneiformi.

Nom. vulg. *Poaya*.

Habitat in collibus siccis circa *Jurijuba* et *Piratininga*, prope *Rio de Janeiro*.

Folia 1 $\frac{3}{4}$ -3 poll. longa, 1-1 $\frac{1}{2}$ poll. lata. Flores albi.

Radix cortice pollet crasso, sapore initio dulcescente, demum vero aliquantulum amaro et nauseoso, meditullio filiformi ligneo albo.

Pertinet ad Sect. VI. *Senega* Prodromi DC.

14. PACHIRA CYATHOPHORA.

P. foliis digitatim 5-7-foliolatis glaberrimis, foliolis inarticulatis petiolulatis oblongo-ellipticis, apice brevissime obtuseque acuminatis; calyce poculiformi truncato, margine subsinuato, extra glabro, intus sericeo-pubescente; petalis semipedalibus utrinque sericeis; tubo staminum pollicari glabrato; filamentis statim supra tubum fere omnino distinctis, eodem 3-4-plo longioribus; antheris trochleari-circinnatis; stylo glabro; stigmatе brevissime 5-fido.

Reperi prope *Rio de Janeiro*, in maritimis praesertim, et in insulis sinus Fluminensis.

Arbor 15-20-pedalis, speciosa. Foliola circum apicem petioli communis dilatatum disposita, 4-6 poll. longa, 1 $\frac{1}{2}$ - 2 poll. lata, nervis parallelis lineata, utrinque nitida. Calyx una cum pedunculo bipollicaris, cupulâ eodem parum breviorе. Petala oblonga 7-9 lin. lata, extremitatibus angustata, extrinsecus pube asperâ rufo-virente, intus vero molli albâ oblecta. Filamenta innumera rubentia, statim supra tubum libera, sive adelphiis fere nullis.

15. PACHIRA STENOPETALA.

P. foliis digitatim 7-9-foliolatis glaberrimis, foliolis oblongo-lanceolatis articulatis; calyce infundibulo-poculiformi, margine sinuato, extra glabrato, intus sericeo-pubescente; petalis semipedalibus et ultra; tubo staminum 3-pollicari, pube albâ brevissimâ subvelutinâ una cum petalis oblecto; filamentis longitudine tubi et supra eundem longiuscule polyadelphiis; antheris oblongo-reniformibus; stylo inferne pubescente, superne glabro; stigmatе brevissime 5-lobo.

Occurrit passim prope *Rio de Janeiro*.

Arbor circiter 20-pedalis. Foliola 2-4 poll. longa, 7-11 lin. lata, supra nitida, subtus pallidiora. Calyx extra, sub lente tantum, pilis aliquot stellulatis granuliformibus instructus; tubo pedunculi longitudine. Flores albi: petala elongata angusta, 3-4 lin. lata.

16. CABRALEA INAEQUILATERA.

C. ramis velutinis; foliis abrupte pinnatis, foliolis 7-8-jugis oppositis suboppositisve sessilibus oblique lanceolatis, apice longiuscule obtuseque acuminatis, supra puberulis, subtus velutinis; racemis axillaribus compositis folio multo brevioribus; foliolis calycinis cordato-orbicularibus; petalis oblongis obtusissimis; tubi staminei lobis apice subemarginatis.

Crescit prope *Rio de Janeiro*.

Arbor mediocris. Foliola $1\frac{1}{2}$ - $2\frac{1}{2}$ p. longa, 7-10 l. lata, supra plus minus puberula, pube secus nervum medium aliquantulo copiosiore: foliolorum et racemorum rhachis una cum calyce velutina. Calyx 5-phyllus: corolla 5-petala: tubus stamineus glaber apice 10-fidus, lobis suboblique truncatis emarginatis vel subintegris. Tubulus vaginans ovarium leviter 5-sinuatus, extra glaber, intus pilis retrorsis instructus. Ovarium hirsutum: stylus glaber. Fructus haud visus. Valde proxima videtur *C. affini* Adr. Juss.

17. CABRALEA TOMENTOSA.

C. ramis puberulis glabratisve; foliis abrupte vel quandoque impari-pinnatis, foliolis 7-9-jugis oppositis suboppositisve sessilibus oblongis subinaequilateris, apice breviter obtuseque acuminatis, supra puberulis, subtus velutinis; capsulis subrotundis glabris.

Habitat in Brasiliae provinciâ *Minas Geraes* (Riedel). Frutex arborescens (Ried.). Rhachis foliolorum velutina: foliola $1\frac{1}{2}$ -2 p. longa, 6-8 l. lata. Flores non vidi: speciminaque mea nimis imperfecta sunt, et ideirco ad pleniorum hujus speciei diagnosin stabiliendam haud satis apta. A praecedente tamen differre, et potius *C. politrichae* Adr. Juss. appropinquare mihi videtur.

18. TRICHILIA MULTIFLORA.

T. foliis impari-pinnatis; foliolis 3-4-jugis oppositis oblique ovato-lanceolatis integerrimis glabris, subtus ad nervos tantum pilosiusculis, brevissime petiolulatis, apice in acumen breve obtusum retusumque productis, foliolo impari obverse lanceolato et in petiolulum attenuato; paniculis axillaribus multifloris petiolum communem longitudine aequantibus, floribus cymulosis; antheris villosis.

Crescit circa *Rio de Janeiro*.

Arbor 15-20-pedalis. Rami glabri, punctis minimis crebris discoloribus verruculosi. Folia 7-9 p. longa: foliola $2\frac{1}{2}$ - $3\frac{1}{2}$ p. longa, $1-1\frac{1}{2}$ p. lata. Flores parvi albi; pedicellis subhorizontalibus cymosim floriferis. Calyx 5-fidus, nonnihil patens. Petala 5 libera oblonga. Filamenta basin versus coalita, apice 2-dentata atque inter dentes antherifera, extra glabra, intus hirsuta. Stylus hirsutus: stigma capitatum. Fructus non vidi.

19. PORTULACA ERIOPHORA.

P. caule humifuso herbaceo, in axillis foliorum lanato-hirsutissimo; villis folio multo longioribus; foliis aliquantulum approximatis minutisque, lineari-oblongis carnosissimis planiusculis obtusiusculis, basin versus leviter angustatis; floribus in apice ramu-

lorum 1-3 sessilibus congestis, basi foliis superioribus subverticillatis villisque axillaribus suffultis. Legi ad litora fluvii *la Plata*, et supra ipsa moenia urbis *Montevideo*. Florebat mense Martio.

Herba annua mollis; villis crebris longiusculis incomptis sordide albescentibus, e foliorum axillis tantummodo prodeuntibus, tota undique obumbrata. Flores exigui, purpurei.

20. ALCHORNEA IRICURANA.

A. foliis longe petiolatis, late ovato-obovato-ellipticis, brevissime acuminatis, dentatis, aride membranaceis, glabris, deorsum subcucullato-plicatis, paullo supra basin triplinerviis, subtusque exquisite parallele venosis; floribus masculis; spicis foemineis axillaribus parce ramosis, una cum ramulis junioribus petiolisque pube albidâ brevissimâ subverruculosâ obductis; capsulâ dicoccâ.

Nom. vulg. *Iricurana*.

Crescit in montibus *Tijuca* et *Corcovado* prope *Rio de Janeiro*.

Arbor circiter 30-pedalis. Folia 3-5 poll. et ultra longa, 2-4 poll. lata, utrinque minutissime granuliformi-punctulata, subtus ad nervos vix puberula: petioli 1-2-pollicares, apice, more quarumdam specierum *Cocculi*, aliquantulum contorti. Styli 2 imâ basi coaliti, crassiusculi, divaricati: semina arillo initio rubro, post desiccationem vero decolori omnino oblecta. Individua foeminea tantum reperi.

Lignum hujus arboris perutile et valde ab incolis existimatum.

Species affinis *A. latifoliae* Swartz.

DECAS III.

—

MENSE AUG. 1842.

—

21. PAULLINIA CORIACEA.

P. glaberrima ; foliis 3-foliolatis ; foliolis ellipticis vel rotundo-ellipticis , integerrimis coriaceis nitidis ; petiolo communi nudo ; capsulâ subpyriformi e basi ad apicem 3-alatâ.

Reperi in sylvulis arenosis maritimis (vulgo *restingas*) prope *Taipú* , in provinciâ *Rio de Janeiro*.

Frutex scandens : rami teretes. Foliola margine subrevoluta , apice obtusissima , basi vero aliquantulum attenuata ; intermedium caeteris majus. Racemi potius breves. Capsularum alae apicem versus latiores ac divaricatae : semen arillo 2-lobo basi cinctum.

22. PAULLINIA ERYTHROCARPA.

P. foliis impari-pinnatis ; foliolis 2-jugis ovatis vel ovato-rhombeis , subcrenatis , margine revolutis , glabris , supra nitidis ; petiolo communi inter foliola brevissime marginato , sub iisdem nudo ; capsulâ subpyriformi e basi ad apicem 3-alatâ , binis aliis alis parvissimis intermediis.

Habitat in sylvulis arenosis maritimis (vulgo *restingas*) circa *Copo-Cabana* , prope *Rio de Janeiro*.

Frutex scandens : ramuli teretes. Foliola 1 $\frac{1}{4}$ - 2 poll. longa , 6 - 12 lin. lata , apice obtusissima , basi aliquantulum attenuata , subcoriacea. Racemi modo cirris praediti , modo carentes. Capsulae 1-loculares sessiles , pulcre ac vivide rubrae : semen arillo 2-lobo semicinctum.

23. PAULLINIA MARGINATA.

P. foliis impari-pinnatis; foliolis 3-jugis, 2 inferioribus saepe 3-foliolatis, omnibus sessilibus oblongo-lanceolatis acuminatis integerrimis, apice mucronulatis, glabris; petiolo communi inter foliola ac sub iisdem latissime marginato, capsulâ

Legi in sepibus juxta viam quâ itur e *Magé* versus *Serra dos Orgãos*, in prov. *Rio de Janeiro*.

Frutex scandens: rami teretes, punctis minimis creberrimis discoloribus aspersi. Foliola 2 $\frac{1}{2}$ -5 poll. longa, 8-15 lin. lata. Racemi saepe 1-2-cirrosi. Capsula (immatura) stipitata aptera.

Obs. In hac specie, haud raro inter flores fertiles hac illac occurrunt alii flores steriles monstruosi, omnibus eorundem partibus morbose adauctis ac in innumera foliola flores plenos simulantia mutatis, morsu, ut opinor, alicujus insecti, ut fit in *Rosá*, *Salice*, etc.

24. PAULLINIA FERRUGINEA.

P. foliis impari-pinnatis; foliolis 2-jugis petiolulatis ovatis acutis, ample ac remote dentatis, supra puberulis, subtus petioloque ferrugineo-tomentosis; petiolo communi inter foliola ac sub iisdem nudo; capsulâ longe stipitatâ, sphaericâ apterâ, una cum racemorum rhachi ferrugineo-tomentosâ.

Reperi in sepibus juxta viam quâ itur e *Magé* versus *Serra dos Orgãos*, in prov. *Rio de Janeiro*.

Frutex sarmentosus: rami teretes, juniores tomento ferrugineo obducti. Foliola 2 $\frac{1}{2}$ -4 $\frac{1}{2}$ p. longa, 1 $\frac{1}{2}$ -2 $\frac{1}{2}$ p. lata: foliolorum jugalium petiolulus 1-3-linearis, imparis vero semipollicaris. Racemi 2-cirrosi. Capsula 1-locularis; semen sphaericum pulpâ farinosâ (arillo) undique obtectum. Flores non vidi.

Obs. Hanc stirpem pro *Enourea capreolata* Aubl. jampridem habui: comparata vero deinde cum descriptione et icone Aubletianâ, visa est mihi ab illâ praesertim differre foliis aliquantulo magis elongatis, supra puberulis non glabris, ambitu dentatis nec integerrimis. Quare eam nunc uti speciem distinctam propono; et quum mea quidem opinio modo sit genus *Enouream* nullo satis praestante ac valido caractere differre a *Paullinia* L., ad hanc revoco, et prope *P. carpopodeam* Cambess. cum quâ fructus formam et arilli structuram communem habet, collocandam esse puto.

25. SCHWENKIA BREVISETA.

S. caule ramoso puberulo, ramulis divaricatis; foliis caulinis petiolatis ovato-cordatis acuminatis glabriusculis, floralibus ovato-lanceolatis; pedunculis axillaribus 1-3-floris; corollae limbo 5-seto, setis brevissimis.

Habitat in Brasiliae provinciâ *S. Paulo* (Riedel).

Rami teretes, una cum petiolis pedunculis calycibusque puberuli. Folia alterna integerrima membranacea, supra glabra, subtus (lentis ope) sparsim puberula; floralia sensim decrescentia, brevissime petiolata vel sessilia. Flores flavescens. Dentes calycini longitudine tubi. Corolla calyce 3-4-plo longior: limbi dentes oblongi 2-3-lineares: setae (seu glandulae) interjectae iisdem multo breviores, minimae. Germen annulo hypogyno cinctum.

Species affinis *S. browallioidi* H. B. et Kunth *nov. gen. et sp.* 2. p. 502. *tab. CLXXXI*. Ab eâ tamen differre videtur foliis minus longe acuminatis; dentibus calycinis longitudine tubi, non brevioribus; corollae limbo longiore; setis brevissimis ac fere inconspicuis, non longissimis; et tandem floribus flavescentibus, haud vero caeruleis.

Obs. Ad *Schwenkiam* referendum mihi videtur genus *Matthissonia* Raddi *Quarant. piant. nuov. del Bras.* in *Mem. della Soc. Ital. (parte fisica) tom. XVIII. fasc. 2.º*

p. 390. *tav. 5. fig. 7.*, hactenus ab omnibus botanicis inter genera incertae sedis ac non satis nota rejectum. Magna quidem mihi inest suspicio ne forte aliquid erronei in Raddianam irreperit descriptionem, unde tota hujus generis obscuritas orta sit. Figura ipsa partium floris *Matthissoniae paniculatae* ab eodem auctore l. c. exhibita, ita convenit cum floribus speciei a me hic descriptae, ut huic conjecturae ansam quam maxime praebeat: neque fortasse habenda est planta ipsa Raddiana, nisi mera *Schwenkia brevisetae* varietas foliis omnino pubescentibus.

26. SCHWENKIA LONGISETA.

S. caule erecto ramoso puberulo; foliis petiolatis oblongis vel ovato-oblongis, obtusiusculis, glabriusculis; pedunculis extraxillaribus brevissimis 4-floris; corollae limbo 5-seto, setis longissimis.

Habitat in montibus *Serra d' Estrella*, in prov. *Rio de Janeiro*.

Caulis subherbaceus, annuus? Folia alterna, margine scabriuscula, 1-2 p. longa, 5-9 l. lata: petioli $\frac{1}{2}$ -1-pollicares. Flores flavo-virescentes. Calyx tubulosus 10-nervosus, laciniis subulatis longitudine tubi. Corollae tubus calyce duplo circiter longior, dentibus limbi vix semilinearibus rotundatis, setis (seu glandulis) interjectis longissimis subaequalibus. Germen annulo hypogyno cinctum.

An satis distincta a *S. Brasiliensi* Poir?

27. SYMPLOCOS ARBUTIFOLIA.

S. ramulis junioribus rubiginoso-tomentosis; foliis obverse lanceolatis subintegerrimis, supra glabris nitidis, subtus puberulis glabratisve punctulisque rubiginosis aspersis; pedunculis racemosis paucifloris tenuissimis petiolo brevissimo 2-3-plo longioribus; rhachi calycibusque puberulis.

Habitat in montibus vulgo *Serra da Caraça*, in provinciâ *Minas Geraes* (Riedel).

Arbor (Ried). Folia apicem versus tantum subserrata, vel omnino integerrima, $1\frac{1}{2}$ - $2\frac{1}{2}$ p. longa, 9-12 l. lata: petiolus vix 1-2-linearis. Flores exigui, abortu polygami. Stamina in floribus masculis numerosiora quam in hermaphroditis. Fructus haud visus.

Obs. Haec et subsequentes species, ob flores polygamos numerumque staminum in floribus masculis et hermaphroditis diversum, peculiarem sectionem in genere *Symploco* constituere quidem poterunt: minime vero ob hujusmodi tantum notam ab eo disjungendas esse puto.

28. SYMPLOCOS OBLONGIFOLIA.

S. glaberrima; foliis oblongis, apicem versus subserratis, emarginatis, coriaceis, supra nitidis, margine pellucidis; pedunculis racemosis plurifloris, petiolo brevi 3-5-plo longioribus.

Crescit apud *Cachoeira do Campo*, *Serra do Quartel*, in provinciâ *Minas Geraes* (Riedel).

Arbor 10-15-pedalis (Ried). Folia 2-2 $\frac{1}{2}$ poll. longa, 5-7 lin. lata, basi in petiolum attenuata; petiolus 3-linearis. Flores abortu polygami (ex Ried.). Stamina in floribus hermaphroditis (qui mihi tantum suppetunt) 15-20. Fructus oblongus, apice aliquantulum constrictus, calycis limbo coronatus.

29. SYMPLOCOS REVOLUTA.

S. glaberrima; foliis oblongo-ellipticis obovatisve integerrimis, margine valde revolutis, coriaceis, supra bullatis; pedunculis racemosis plurifloris, petiolo brevi 3-4-plo longioribus.

Habitat in provinciâ *Minas Geraes* (Riedel).

Arbor (Ried). Folia 2-3 poll. longa, 1-1 $\frac{1}{4}$ poll. lata,

apice obtusissima vel rotundata, subtus nervo medio validissimo praedita: petiolus 3-4-linearis. Flores abortu polygami. Stamina, in floribus masculis, pluriseriatim inserta, 15-20 circiter; in hermaphroditis vero pauciora. Fructus olivaeformis, calycinis reliquiis in ejusdem apice vix manifestis.

30. SYMPLOCOS ESTRELLENSIS.

S. glaberrima; foliis late lanceolatis, obtusiuscule acuminatis, apicem versus subserratis, coriaceis; pedunculis racemosis plurifloris gracilibus, petiolo 2-3-plo longioribus.

Crescit in sylvis umbrosis montium *Serra d' Estrella*, in provinciâ *Rio de Janeiro* (Riedel).

Frutex 6-12-pedalis (Ried.). Folia $2\frac{1}{2}$ -3 poll. longa, $1\frac{1}{4}$ poll. lata, margine subrevoluta: petiolus 4-6 lin. longus. Flores abortu polygami (Ried.). Stamina in floribus hermaphroditis (qui mihi tantum suppetunt) 5-7. Fructus haud visus.

DECAS IV.

—

MENSE OCT. 1842.

—

CARINIANA.

Calyx tubo turbinato, cum ovario connato, limbo supero subirregulariter 5-6-lobo, lobis demum deciduis. Corollae petala 5-6, disco epigyno inserta, subaequalia, imae urceoli staminiferi basi vix adnata. Urceolus staminifer cum petalis disco epigyno insertus, intus et margine antherifer, lateraliter in ligulam brevem truncatam, intus et apice antheriferam productus. Stamina numerosissima, omnia fertilia: filamenta brevia: antherae 2-loculares, loculis rotundis, lateraliter dehiscen-
tibus. Ovarium inferum 3-loculare, loculis pluriovulatis: ovula secus angulum internum duplici serie inserta, imbricata. Stylus cum ovario continuus, brevis, conico-subulatus, versus brevior-
em urceoli staminiferi partem declinatus: stigma simplex. Capsula oblonga cylindrica lignosa dura evalvis, limbi calycini delapsi cicatrice annulata, extrinsecus laevis, intrinsecus seminum pressione foveolis totidem longitudinaliter excavata, in 3 loculos divisa ope columnae centralis triquetrae, fundo capsulae affixae, in discum continuae, ac demum cum illo operculatim secedentis. Semina abortu pauciora, in quovis loculo 4-5, secus co-

lumnam centram longitudinaliter inserta, alterne ac suboblique disposita, ascendens, compressa, semi-obovoidea, basi acuta, apice rotundata, facie interiore plana laevia columnae centrali applicata, exteriori convexa rugosa ac in parietes capsulae profunde immersa, testâ subcoriaceâ, uno dumtaxat latere in alam membranaceam tenuissimam producta, reliquo margine nuda. Embryo semini conformis, exalbuminosus, conduplicatus: cotyledones foliaceae plicatae corrugatae, radicae incumbentes.

Genus inter MYRTACEAS, subordine LECYTHIDEARUM, adnumerandum, affine *Couratari* Aubl.; ab eo tamen structurâ urceoli staminiferi recedens, ejusdem ligulâ nempe brevissimâ, staminibus numerosissimis cunctisque fertilibus intus et apice onustâ, haud vero papillis lamellisve tantum praeditâ; etiam capsulae structurâ, seminum insertionem ac eorundem alâ laterali diversum.

Suo mihi excelso nomine decorare concessit SERENISSIMUS SABAUDIAE - CARINIANI PRINCEPS EUGENIUS, duce quo et auspice, iter in Brasiliam anno 1839 incunteque 1840 peregi, quique me tam plenas Florae deliciis plagas explorantem summâ adjuvit humanitate ac singulari favore prosequutus est.

31. CARINIANA BRASILIENSIS.

Nom. vulg. *Jiquitibá*, *Jequitibá*.

Crescit in sylvis primaevis circa *Rio de Janeiro*.

Arbor maxima, excelsa; foliis alternis petiolatis ovato-lanceolatis acuminatis dentatis subintegerrimisve, glabris, supra nitidis, exquisite tenuissimeque venulosis, 2 poll. circiter longis, 1 poll. latis, in petiolum 3-4-linearem planum subdecurrentibus, exstipulatis; floribus axillaribus terminalibusque racemoso-paniculatis, parvis, albis.

Obs. In hujus arboris trunco Brasiliiani cymbas uniligneas (vulgo *canoas*) praelongas ac mirae magnitudinis cavant. Lignum quoque praestantissimum atque utilissimum.

32. PAVONIA MONATHERICA.

P. foliis oblongis vel oblongo-lanceolatis, inaequilateris, subinaequaliter dentato-serratis, scabriusculis; floribus terminalibus axillaribusque racemosis vel racemoso-subcorymbosis; involucelli foliolis 10 linearibus ciliatis, basi inter se connatis, calyce 3-4-plo longioribus; coccis 1-aristatis, aristâ e medio ad apicem retrorsum echinulatâ.

Reperi in montibus *Serra dos Orgãos* in provinciâ *Rio de Janeiro*.

Caulis subsimplex erectus. Folia 3-5 poll. longa, 15-24 lin. lata, minutissime (lentis ope) pellucido-punctata. Flores albi parvi. Tota planta pube minimâ stellulatâ plus minusve obducta.

33. PAVONIA LAPPACEA.

P. foliis ellipticis vel subovatis, inaequilateris dentatis scabris; floribus in apice ramulorum confertis glomeratis, breviter pedicellatis; involucelli foliolis 6-8 lineari-lanceolatis basi inter se connatis, calyce duplo longioribus; coccis 3-aristatis, aristis undique retrorsum echinulatis, mediâ lateralibus subduplo longiore.

Legi in insulâ S. Sebastiani (in prov. S. Pauli).

Caulis subsimplex erectus. Folia 3-6 poll. longa, 1- $\frac{1}{2}$ -5 poll. lata, minutissime pellucido-punctata. Flores albi parvi. Tota planta pube brevis stellulatâ obducta.

34. PAVONIA GLOMERATA.

P. foliis lanceolatis vel ovato-lanceolatis, inaequaliter dentatis, scabris; floribus in apice ramulorum confertis glomeratis sessilibus vel subsessilibus; involucelli foliolis 5 late ovatis acuminatis subnervosis, basi inter se connatis, calyce paullo longioribus; coccis 3-aristatis, aristis undique retrorsum echinulatis, mediâ lateralibus subduplo longiore.

Legi in collibus circa *Cachoeira* et *S. Amaro* in provinciâ Bahiensi.

Caulis subramosus erectus. Folia 3-4 $\frac{1}{2}$ poll. longa, 1 $\frac{1}{2}$ -2 poll. lata, crebre ac subdupliciter dentata, subtus pallida, minutissime (ope lentis dumtaxat) pellucido-punctata. Flores albi parvi. Tota planta pube brevi stellulatâ obducta. Obs. Valde affinis praecedenti; mihi tamen videtur diversa.

35. PAVONIA MICROPHYLLA.

P. foliis parvis rotundis vel ovato-rotundis, basi cordatis, crenatis, subtus pilosis, supra pilis rarioribus aspersis; pedunculis axillaribus solitariis folio multo longioribus; involucelli foliolis 11-12 lineari-filiformibus setoso-ciliatis, calyce subtriplo longioribus; coccis angulatis 3-cuspidatis puberulis, cuspidibus brevibus retrorsum echinulatis, divaricatis, aequalibus.

Reperi in insulâ *Itaparica* et in collibus circa *Cachoeira* in provinciâ Bahiensi.

Fruticulus 2-3-pedalis, ramosissimus, dumosus, amoenus: rami lignosi, una cum petiolis pedunculisque plus minusve pilosi. Folia tenera. (lentis ope) pellucido-punctata, 2-4 lin. eireiter longa ac totidem fere lata, cum aliis paullo

majoribus intermixta, saepe in ramulis lateralibus abortu quammaxime abbreviatis contracta subfasciculata. Flores flavo-rubentes, grandiusculi.

36. PAVONIA PROCUMBENS.

P. hirta; caule procumbente; foliis cordatis vel cordato-hastatis, obsolete 3-5 lobis, inaequilateris ac inaequaliter dentatis; pedunculis axillaribus solitariis folio modo brevioribus, modo longioribus; involucelli foliolis 13-17 lineari-filiformibus setoso-ciliatis, calyce longioribus; coccis muticis dehiscentibus.

Legi in insulâ *Itaparica* et in collibus apricis circa *Bahiam*.

Caulis ramosus. Folia (lentis ope) pellucido-punctata. Flores flavi, grandiusculi.

37. KIELMEYERA MEMBRANACEA.

K. caule arboreo; foliis petiolatis ellipticis obovatisve glaberrimis, subtus nitidioribus; floribus paniculato-corymbosis; foliolis calycinis ovato-rotundis glabris subaequalibus; staminibus monadelphis.

Crescit in arenosis maritimis prope *Rio de Janeiro*.

Folia sparsa, 4 1/2-7 poll. longa, 2-5 poll. lata, membranacea, pinnatim venosa, lineolisque transversis parvissimis numerosis opacis (sub lente tantum rubro-pellucidis) praedita: petiolus 6-9 lin. longus. Flores albi.

38. HUMIRIUM DENTATUM.

H. foliis breviter petiolatis ovato-lanceolatis dentatis, supra glabratis nitidis, subtus una cum petiolis pedunculis ramulisque puberulis; corymbis axillaribus folio brevioribus; petalis glabris.

Habitat in sylvulis arenosis maritimis (vulgo *restingas*)
in prov. *Rio de Janeiro*.

Frutex arborescens. Folia 3-4 poll. longa, 1 1/2 -2 poll. lata,
in petiolum 3-4-linearem attenuata. Stamina glabra: fila-
menta vix imâ basi inter se coalita.

39. EUGENIA ROTUNDIFOLIA.

E. foliis brevissime petiolatis rotundis vel ovato-ro-
tundis, margine revolutis, valde coriaceis, cras-
siusculis, utrinque glaberrimis, supra nitidis, im-
punctatis; pedunculis 1-floris brevibus, in vete-
ribus foliorum axillis aggregatis.

Reperi in arenosis maritimis inter *Copo-Cabana* et *La-
goa de Rodrigo de Freytas* prope *Rio de Janeiro*.

Frutex 3-4-pedalis, dumosus, elegans. Folia 2-2 1/2 poll.
longa, totidem vel fere totidem lata: petiolus circiter ses-
quilinearis. Fructus maturi nigri cerasiformes.

40. GAYLUSSACIA RIGIDA.

G. foliis brevissime petiolatis oblongis, apice emar-
ginatis ac in medio calloso-mucronulatis, glaber-
rimis, supra nitidis, subtus minutissime punctula-
tis; racemis axillaribus folium subaequantibus.

Legi in cacuminibus montium *Serra dos Orgãos* extra
superiorem sylvarum primaevarum limitem, cum fru-
ctibus maturis mense Majo.

Frutex parvus: ramuli juniores una cum petiolis pedunculisque
(lentis ope dumtaxat) pruinoso-subglandulosi. Folia rigida,
apice obtusiuscula, basi paullulum angustata, 6-9 lin. longa,
2-3 lin. lata. Drupae magnitudine circiter fructus *Piperis*
nigri. Flores non vidi.

DECAS V.

—

MENSE MART. 1843.

—

GALLEZIA.

Calyx 4-partitus, laciniis subaequalibus ovatis vel ovato-oblongis obtusis concavis herbaceis, margine scariosis, fructiferis erectis persistentibus, aestivatione imbricativâ, laciniâ nempe anticâ exteriori, posticâ interiori, lateralibus semiexterioribus. Corolla nulla. Stamina plurima, disco carnosulo calycis fundum vestienti subbiseriâliter inserta, eodem breviora: filamenta filiformia inaequilonga: antherae extrorsae oblongae 2-loculares, loculis basi et apice discretis, rimâ laterali longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium sessile liberum simplex 1-loculare oblongum, lateribus compressum: ovulum unicum basi fixum amphitropum: stigma lineare, juxta interiorem ovarii marginem ab apice ultra medium decurrens, demum incrassatum. Achenium samaroideum lateribus compressum, utrâque facie ecostatum, apice in alam magnam acinaciformem, margine interiori recto incrassato, exteriori convexo subundulato, expansum. Semen verticaliter compressum, orbiculare; testa membranacea, utroque latere albumini arcte adnata. Embryo annulari-curvatus: albumen parvum farinosum, embrionis sinum replens: cotyledones fo-

liaceae convolutae (reticulato-venosae) : radícula infera.

Genus proximum *SeQUIERIAE*, sed calyce 4-partito non 5-partito, ejusque laciniis in fructu erectis haud vero reflexis, antherarum loculis basi et apice discretis neque sagittatis*, achenioque costis sive appendiculis alaeformibus lateralibus carente distinctum; ipsius autem calycis ac antherarum structurâ ad *PETIVERIAM* nonnihil accedens; atque idcirco *SeQUIERIAE* cum *PETIVERIÂ* affinitatem, primo a celeb. R. Brownio notatam, magis magisque confirmans; ac medium inter utrumque genus collocandum.

In memoriam dixi praeclari viri atque olim amicissimi GEORGII GALLESII Finariensis, qui erudite de Citro, deque plantarum reproductione ingeniose disseruit, ac Pomonam Italicam uberrimis notis iconibusque elegantissimis illustravit.

41. GALLESIA SCORODODENDRUM.

Crataeva Gorarema Vell. *Fl. Flum. icon. vol. V. tab. 4.*
Nom. vulg. *Pao d'Alho.*

Reperi in sylvis primaevis circa *Rio de Janeiro*, et in insulâ S. Sebastiani.

Arbor magna, foliis alternis petiolatis ovatis vel ovato-ellipticis acutis obtusisve penninerviis integerrimis pellucido-punctatis glabris, stipulis geminis minimis tuberculiformibus acutis obsolete, paniculis terminalibus multifloris inferius foliatis, floribus sessilibus tribracteolatis.

Obs. Tota planta, lignum nempe folia flores fructusque gravissimum allii expirant odorem.

42. SERJANIA MARGINATA.

S. ramis obtusissime 3-angulatis glabris; foliis bi-

* Sagittatas *SeQUIERIAE* generi tribuunt antheras BENTHAMUS (*Trans. of the Linn. Soc. of London vol. XVIII. part. 2.^a p. 235.*), ENDLICHERIUS (*Gen. plant. p. 975.*), atque MEISNERIUS (*Plant. vasc. gen. p. 516.*).

ternatis, foliolis ovato-oblongis, plerumque acuminatis, integerrimis vel prope apicem uno alterove dente utrinque notatis, impunctatis glabris; petiolo communi inter foliola ac sub iisdem late marginato, subtus circa foliolorum articulationes dumtaxat puberulo; fructibus glabris, alis inferius dilatatis rotundatis.

Crescit in montibus vulgo *Serra da Caraça* in provinciâ *Minas Geraes* (Claussen).

Frutex scandens.

Affinis videtur *S. paucidentatae* DC. Prodr. I. p. 603.

43. THOUINIA MACROPTERA.

T. foliis 3-foliolatis; foliolis petiolulatis ovatis vel ovato-oblongis paucidentatis glabris, intermedio aequilatero basi acutiusculo, lateralibus inaequaliter basi rotundatis; racemis axillaribus corymbiformibus; fructibus stipitatis apice 3-alatis, alis elongatis margine interiore recto inter se adnatis.

Habitat circa *Rio de Janeiro* (Riedel).

Ramuli punctato-verruculosi glabri. Fructuum alae sesquipollicares.

44. TULICIA * BRASILIENSIS.

T. foliolis 10-15-jugis dentatis.

Crescit prope lacum vulgo *Lagoa de Maricá* in provinciâ *Rio de Janeiro* (Riedel).

Arbor (Ried.). Folia abrupte pinnata: foliola opposita vel subopposita sessilia lanceolata inaequilatera subarcuata

* Nomen e Galibiorum linguâ derivatum, minus recte ab Aubletio *Toulicia* scriptum, leviter corrigendum duxi ad saniores Latinae orthographiae normam.

glaberrima. Paniculae in apice ramorum amplae: flores spicatum dispositi, glomerulati. Fructus inferius alati, alis margine undulato-subrepandis.

Obs. Differt a *T. Guianensi* Aubl. foliis dentatis nec integerrimis.

45. CUPANIA SYLVATICA.

C. foliolis 3–5–jugis alternis oblongis, utrinque attenuatis, apice obtusiusculis rarius emarginatis, margine integerrimis subundulatis, glabris; racemis compositis axillaribus terminalibusque, folio brevioribus.

Habitat in sylvis circa *Rio de Janeiro*.

Arbor: ramuli verruculosi. Folia abrupte pinnata: foliola 2–3¹/₂ poll. longa, 9–12 lin. lata, supra nitidiuscula. Flores parvissimi. Calyx pedunculique (sub lente) puberuli. Petala alba calycem vix superantia, intus ligulâ 2-fidâ barbatâ instructa.

46. CARINIANA EXCELSA.

C. capsulâ 3–pollicari, annuli calycini cicatrice parum prominente, oris margine eroso-dentato, loculis 4–5–spermis.

Curatari Estrellensis *Raddi Quarant. piant. nuov. del Bras. in Mem. della Soc. Ital. (parte fisica) tom. XVIII. fasc. 2.º p. 403. tav. 5. fig. 2. — DC. Prodr. III. p. 294.*

Reperi in sylvis primaevis insulae S. Sebastiani. — In montibus vulgo *Serra d' Estrella* (Raddi).

Arbor maxima excelsa. Fructus, ut pridem Raddio, mihi quoque dumtaxat in promptu erat. Semina in quovis loculo biserialiter disposita.

Obs. Nomen vulgare et usus apud incolas idem ac alterius speciei quam superius in Decade IV. p. 36. *Cariniana Brasiliensis* nomine designavi.

C. Brasiliensis capsulas fert multo minores, vix sesquipolli-

cares, annuli calycini cicatrice paullo magis prominente, oris margine integro, loculis 1-4-spermis.

47. CALYPTRANTHES DICHOTOMA.

C. ramis dichotomis; foliis breviter petiolatis, late ellipticis, utrinque rotundatis, margine subrevolutis, coriaceis opacis glabris, nervis lateralibus parallelis subtus prominulis ac in nervum margine paullulo distantem confluentibus; pedunculis basi ramulorum terminalium binis oppositis, ter 3-fidis, compressis, puberulis; floribus pedicellorum apice ternis approximatis; alabastris pube adpressâ subrufâ villosa-tomentosis, bractea membranaceâ integrâ mox disruptâ caducissimâ obvolutis.

Habitat in provinciâ *S. Paulo* (Riedel).

Frutex (Ried.). Folia $2\frac{1}{2}$ - $3\frac{1}{2}$ poll. longa, $1\frac{1}{2}$ - $2\frac{1}{2}$ poll. lata: petioli 3-4-lineares.

48. AEGIPHILA HIRTA.

A. villosa, villis aureo-virescentibus hirtis; caule obtuse tetragono; foliis oppositis suboppositisve obverse lanceolatis, in petiolum attenuatis; cymis corymbosis axillaribus, pedunculatis; pedicellis filiformibus, basi bractea lineari-filiformi instructis; dentibus calycinis apice lineari-setaceis.

Reperi in monte *Corcovado* prope *Rio de Janeiro*.

Frutex. Folia 2 - $3\frac{1}{4}$ poll. longa, 7-14 lin. lata. Flores alboluteoli. Fructus non vidi.

49. AEGIPHILA OLEIFERA.

A. ramis teretibus, ad nodos complanatis; foliis oppositis late ovatis, utrinque acuminatis, glabriusculis; cymis axillaribus longiuscule pedunculatis,

fructiferis laxe capitatis; fructibus ovoideis, calyce aucto cupulari margineque eroso-truncato semi-inclisis, lutescentibus 4-locularibus 4-spermis.

Reperi in monte vulgo *Morro de Babylonia* prope *Rio de Janeiro*.

Frutex. Folia 3-5 $\frac{1}{2}$ poll. longa, 1 $\frac{1}{2}$ -2 $\frac{1}{2}$ poll. lata, nervis supra valde impressis, subtus prominentibus. Cotyledones quam maxime oleosae. Flores non vidi.

50. FICUS LANUGINOSA.

F. ramulis, petiolis, receptaculisque hirtellis; foliis petiolatis obovato-oblongis, apice brevissime obtuseque acuminatis, inferius angustatis, basi obtusiusculis subtruncatis triplinerviisque, integerrimis pellucido-punctatis pubescentibus; receptaculis parvis axillaribus extraxillaribusque solitariis geminisve subglobosis calyculatis, brevissime pedunculatis, petiolum subaequantibus.

Reperi in sylvulis arenosis maritimis (vulgo *Restingas*) prope *Taypú* in provinciâ *Rio de Janeiro*.

Frutex. Folia 1-1 $\frac{3}{4}$ poll. longa, 8-10 lin. lata, paullo magis subtus quam supra pubescentia: petioli 2-3-lineares. Receptacula magnitudine circiter fructus *Piperis nigri*: pedunculi semilineares calyculique glabriusculi.

DECAS VI.

—

MENSE APR. 1843.

—

REDIA.

Flores monoici. MASC. Calyx profunde 3-partitus, laciniis ovatis concavis, aestivatione valvatis, sub anthesi reflexis. Corolla nulla. Stamina plurima, receptaculo conico symmetrice inserta, seriebus plurimis horizontalibus alternis verticillata, unâquâque serie sena, seriebus duodenis longitudinalibus alternis radiatim imbricata, ac in glomerulum conico-capitatum compactum coacervata: filamentis liberis latiusculis complanatis: antheris obverse subreniformibus, 2-ocularibus: loculis connectivo paullulum dilatato apiceque in mucronem inflexum producto introrsum adnatis, basi connexis, apice distinctis, transverse dehiscen-tibus. FOEM. Calyx 3-phyllus, foliolis lanceolatis acuminatis concavis, in fructu patulis, persistentibus. Corolla nulla. Ovarium 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Styli 6 filiformes elongati, extrinsecus pilosi, intrinsecus glanduloso-stigmatosi, imâ vix basi coaliti, caduci. Capsula 3-cocca, coccis subglobosis, a columellâ centrali persistente apice-que 3-cruri secedentibus, elastice 2-valvibus, 4-spermis. Semina subglobosa exarillata.

Genus inter *Cleidion* Blum., cui valde affine videtur, et *Alchorneam* Soland. collocandum.

Dicavi FRANCISCO REDI Aretino, medico philosopho atque poetae celeberrimo, qui saec. XVII.^o inclaruit, ac plurimas de rebus ad Naturalem Historiam pertinentibus perdoctas aureâque styli venustate praeditas edidit dissertationes.

51. REDIA TRICOCCA.

Reperi in collibus argillosis circa parvulam urbem *S. Amaro* in provinciâ Bahiensi.

Arbuscula, foliis alternis, breviter petiolatis, obverse vel obovato-lanceolatis, apice acuminatis, basi plus minusve cuneatis, margine glanduloso-serratis, glabriusculis; stipulis ad basin petiolorum geminis; floribus in diversis ramis masculis et foemineis, exiguis masculis in spicas axillares simplices dispositis, glomerulatis: foemineis racemosis, racemis axillaribus simplicibus subsimplicibusve, pedicellis paullo supra medium articulatis.

52. LUPINUS CHRYSOMELAS.

L. aureo-sericeus nitens; caule fruticoso ramoso; ramis dichotomis compresso-ancipitibus flexuosis, inferius paullatim nudis, ac demum una cum petiolis, racemorum rhachi calycibusque plus minusve cinereo-nigrescentibus; foliis simplicibus ovatis vel ovato-oblongis, apice mucronatis, petiolo dilatato vaginante multo longioribus; stipulis in petioli marginem ex ipsius basi usque ad apicem decurrentibus; floribus racemosis subverticillatis; bracteis caducis; calycis bracteolati labio superiore brevissime 2-dentato, inferiore integro; corollâ glabrâ; leguminibus villosolanas.

Habitat in montibus *Serra da Caraça* in provinciâ *Minas Geraes* (Claussen).

Stirps elegantissima. Folia 14-22 lin. longa, 6-12 lin. lata: petioli 4-6-lineares. Flores (prout ex siccis speciminibus conjicere licet) albi vel albo-purpurascetes.

53. JACARANDA CLAUSSENIANA.

J. glabra; ramulis novellis ad nodos compressis; foliis impari-bipinnatis, pinnis 4-5-jugis, jugo inferiore simplici-foliolato ejusque foliolis breviter petiolulatis ovatis vel ovato-rotundatis, caeteris pinnulatis, pinnulis 4-5-jugis, foliolis sessilibus ovato-oblongis, impari obovato-cuneato; petioli communis rhachi canaliculatâ, inter exteriores foliolorum pinnulas submarginatâ; paniculis terminalibus; capsulâ

Habitat in provinciâ *Minas Geraes* (*Claussen*).

Strenuissimo dicavi in Brasiliam peregrinatori atque ipsius stirpis detectori *Petro Claussen*.

54. MYRSINE BAHIENSIS.

M. foliis obovatis vel obovato-oblongis, apice rotundatis ac obsolete submarginulatis, basi in petiolum attenuatis, glabris, utrinque (sub lente) minutissime ac opace punctulato-perforatis; glomerulis axillaribus paucifloris; floribus sessilibus vel brevissime pedunculatis, pentameris, glabriusculis; baccis

Reperi in insulâ *Itaparica* ad ostium sinus *Bahiensis*.

Arbor. Folia (cum petiolo) $1 \frac{3}{4}$ — $2 \frac{1}{2}$ poll. longa, 7-11 lin. lata, submembranacea.

55. MYRSINE FRAGILIS.

M. foliis oblongis vel obverse oblongo-lanceolatis, apice acutiusculis, basi in petiolum attenuatis,

glabris, utrinque (sub lente) minutissime ac opace punctulato-perforatis; floribus axillaribus umbellatis; calycibus 5-6-fidis glabris, lobis ovato-rotundatis; baccis rotundis glabris; pedunculis petiolum subaequantibus.

Reperi in montibus *Serra dos Orgãos* circa praedium vulgo *Fazenda de S. Anna do Paquequer*, in provinciâ *Rio de Janeiro*.

Arbor. Folia (cum petiolo 3-lineari) 2 $\frac{1}{2}$ -3 poll. longa, 8-10 lin lata, subcoriacea, subtus subferruginea.

Obs. Lignum admodum fragile.

56. MYRSINE CAPOROROCA.

M. ramulis junioribus, petiolis floribusque minutissime subrufescenti-pruinoso-puberulis; foliis subdistorte obverse oblongoque-lanceolatis, acuminatis, basi in petiolum attenuatis, glabriusculis, junioribus (sub lente) minutissime pellucido-punctulatis, subinde opacis; floribus axillaribus glomeratis pentameris; baccis sessilibus subsessilibusve rotundis glabris.

Nom. vulg. *Capororoca*.

Reperi in maritimis circa *Rio de Janeiro*, et in insulâ *S. Sebastiani*.

Arbor. Folia (cum petiolo) 2-3 $\frac{1}{2}$ poll. longa, 7-11 lin. lata, submembranacea, utrinque sed paullulo magis subtus quam supra (sub lente) pruinoso-puberula, pellucide quidem saepius punctulata, punctis vero minime perforatis.

Obs. Lignum admodum fragile.

57. MYRSINE GLAUCA.

M. foliis late oblongis vel oblongo-ellipticis, apice obtusiusculis integris vel obsolete emarginu-

latis, basi in petiolum attenuatis, coriaceis glaberrimis glaucescentibus, utrinque (sub lente) minutissime ac opace punctulato-perforatis; umbellis axillaribus multifloris densiflorisque hemisphaericis, petiolum subaequantibus; calycibus 5-6-fidis, lobis subtriangularibus subscariosis; baccis rotundis glabris.

Habitat in provinciâ *Minas Geraes* (Claussen).

Folia (cum petiolo) 3 $\frac{1}{2}$ -5 poll. longa, 14-20 lin. lata.

Fructus lutescentes.

58. MYRSINE LAURIFOLIA.

M. foliis petiolatis late oblongis vel oblongo-ellipticis, utrinque acutiusculis, apice integris vel obsolete emarginulatis, coriaceis glaberrimis, minutissime (sub lente) ac opace subtusque paululo magis quam supra manifeste punctulato-perforatis; floribus axillaribus umbellatis; calycibus 5-fidis glabris, lobis ovatis obtusis; baccis subrotundis glabris; pedunculis petiolo 2-4-plo brevioribus.

Habitat in arenosis maritimis collibusque siccis circa *Rio de Janeiro* (Riedel).

Arbor 12-15-pedalis (Ried.). Folia (cum petiolo 4-6-lineari) 3-4 poll. longa, 12-18 lin. lata, paginâ inferiore venulis crebris tenuissimis vix ac ne vix quidem manifestis ac supra venas primarias transversas excurrentibus sublongitudinaliter striatâ.

59. MYRSINE NERIIFOLIA.

M. foliis oblongis acutis, basi in petiolum attenuatis, glabris, utrinque minutissime ac pellucide

punctulato-perforatis ; floribus axillaribus glomeratis subsessilibus pentameris ; baccis

Crescit circa urbem *Villa Rica* in provinciâ *Minas Geraes* (*Claussen*).

Folia (cum petiolo) $2 \frac{1}{2}$ - $5 \frac{1}{2}$ poll. longa , 9-13 lin. lata.

60. MYRSINE MARITIMA.

M. foliis petiolatis obovatis vel obovato-oblongis , coriaceis glaberrimis , supra nitidiusculis , utrinque (sub lente) minutissime ac opace punctulato-perforatis , penninerviis , nervis utrinque parum sed paullulo magis supra quam subtus manifestis , approximatis subparallelis ac in nervum e margine paullo distantem confluentibus ; floribus axillaribus glomeratis subsessilibus pentameris ; calycibus glabris ; baccis

Reperi in sylvis arenosis maritimis inter *Copo-Cabana* et *Lagoa de Rodrigo de Freytas* prope *Rio de Janeiro*.

Arbor parva. Folia $5 \frac{1}{2}$ - 5 poll. longa , $1 \frac{1}{4}$ - $2 \frac{1}{2}$ poll. lata , arefactione margine revoluta : petioli 4-8 - lineares.

DECAS VII.

—
MENSE JUL. 1843.
—

CHRYSOXYLON.

Flores Legumen stipitatum oblongum planum continuum bivalve, marginibus utrinque elevatis cinctum, exsuccum, polyspermum, endocarpii membranacei laminis arcte simul adnatis ac non-nisi circum semina solutis. Semina horizontalia, verticaliter compressa, transversim ovata: testa coriacea nitida, utrâque facie circum areolata. Embryo rectus, exalbuminosus: cotyledones subfoliaceae: radícula exserta: plumula inconspicua.

61. CHRYSOXYLON VINHATICO.

Vinhatico *Casal Corogr. Bras. 1.^a edit. (1817) vol. 1. p. 114.* — *2.^a edit. (1833) vol. 1. p. 93.*

Cassia Fluminensis Vell. Fl. Flum. icon. vol. IV. tab. 72.

Nom. vulg. *Vinhatico.*

Habitat in sylvis primaevae provinciae *Rio de Janeiro.*

Arbor procera, foliis abrupte 2-pinnatis, foliolis subsessilibus oblongo-ellipticis subobliquis, utrinque obtusis, apice subretusis, glabris. Flores non vidi.

Obs. Lignum hujus arboris inter praestantiora atque utiliora habetur apud incolas; ejus color luteus, immo aliquantisper recentis ac fabriliter expoliti aureus, pulcherrimus.

Icon Vellosiana foliola exhibet aliquantulo majora apiceque acutiora quam in meis exemplaribus; huc tamen omnino referenda mihi videtur.

62. CLUSIA MAMMOSA.

C. foliis longiuscule petiolatis, obovatis vel obovato-ellipticis, apice rotundatis integris vel subemarginatis, basi acutiusculis subinaequalibus ac in petiolum subdecurrentibus, parallele venosis, venis paullulo magis supra quam subtus conspicuis, nervo medio utrinque prominente; pedunculis terminalibus (1-floris); calyce 4-phyllo calyculato; corollâ ; capsulâ sphaeroideâ; stigmatibus 8-10 ovato-oblongis erectis arcte simul coeuntibus, singulis in medio longitudinaliter subexcavatis.

Reperi in sylvis primaevae circa *Passagem* prope Bahiam.

Arbor. Folia 3-5 poll. longa, $1\frac{3}{4}$ - $2\frac{1}{2}$ poll. lata, coriacea, desiccatione margine plus minus revoluta: petioli 7-14-lineares. Pedunculi paullo infra florem bracteolati: bracteolae concavae horizontales vel erectiusculae.

Species descripta ex unico exemplari.

63. CLUSIA GANABARICA.

C. foliis suboblique obovatis vel obovato-rhombeis, apice obtusissimis, basi in petiolum brevem cuneato-attenuatis, tenuiter ac parallele venosis; venis inter se proximis ac in nervulum submarginalem confluentibus, nervo medio supra planiusculo, subtus prominente; floribus terminalibus cymosis; calyce 4-phyllo calyculato; corollâ ; capsulâ depresso ellipsoideâ; stigmatibus 5 ovatis distinctis peltatis, supra planis ac in medio subumbilicatis.

Reperi in rupibus maritimis circa sinum Fluminensem

(-*bahia do Rio de Janeiro*) olim ab Americanis, teste Theveto et Lerío, *Ganabara* nuncupatum, unde nomen specificum hausit.

Arbor parva, sive frutex arborescens. Folia (cum petiolo 2-5-lineariter) $2\frac{1}{2}$ - $4\frac{1}{2}$ poll. longa, $1\frac{1}{4}$ -2 poll. lata, carnosule coriacea, desiccatione margine revoluta. Pedicelli paullo infra florem bracteolati: bracteolae concavae horizontales vel erectiusculae.

64. CLUSIA RUPICOLA.

C. foliis sessilibus late obovato-subrotundis, basi breviter obtuseque cuneatis, margine revolutis, tenuiter ac parallele venosis, venis valde approximatis ac in nervulum submarginalem confluentibus, nervo medio supra plano, subtus crasso prominente ac basin versus latissimo; floribus terminalibus pedunculorum apice ternis approximatis; calyce 4-phyllo calyculato; corollâ (6-petalâ), capsulâ ; stigmatibus

Reperi in altioribus ac praeruptis jugis montium *Serra dos Orgãos*, ad superiorem sylvarum primaearum limitem.

Frutex. Folia 3-4 poll. longa, 2-3 poll. lata, carnosule coriacea, basi nonnihil concavo-dilatata subamplexicaulia. Pedunculi late compressi, immediate sub florum fasciculo bracteolati: bracteolae concavae reflexae. Flores albi.

Species descripta ex unico exemplari.

65. ACHRAS GUAPEBA.

A. foliis breviter petiolatis, obovato-oblongis vel obverse lanceolatis, apice obtusis vel obtuse subacuminatis, basin versus cuneato-attenuatis, un-

dulatis glabris, venulis conspicue reticulatis; floribus sessilibus subsessilibusve, axillaribus vel sparsis, solitariis vel 2-6 aggregatis, tetrameris; foliolis calycinis extrinsecus adpresse sericeis; fructibus subrotundis fulvo-aureis-tomentosis.

Nom. vulg. *Guapeba*.

Reperi in sylvis arenosis maritimis (vulgo *restingas*) prope *Rio de Janeiro*.

Arbor vel frutex arborescens; ramuli glabri. Folia (cum petiolo 2-4-linearis) 1 $\frac{1}{2}$ -3 poll. longa, 7-12 lin. lata, supra nitidiuscula, ferrugineo ut plurimum colore suffusa. Alabastra ovata. Corolla albo-virescens. Stylus exsertus: stigma truncatum, (sub lente) 4-lobum.

66. ACHRAS LAURIFOLIA.

A. foliis breviuscule petiolatis, late oblongis vel obverse sublanceolatis, apice obtusis vel obtuse subacuminatis, basin versus cuneato-angustatis ac in petiolum subdecurrentibus, glabris; floribus axillaribus pedunculatis solitariis binisve, petiolum subaequantibus, 7-8-andris; calyce 4-phyllo, foliolis extrinsecus pedunculisque adpresse subsericeis; corollâ 7-8-lobâ; fructibus

Habitat in sylvis arenosis maritimis (vulgo *restingas*) prope *Rio de Janeiro*.

Arbor. Folia (cum petiolo 4-7-linearis) 3-5 poll. longa, 10-18 lin. lata, supra nitidiuscula, ferrugineo ut plurimum colore suffusa. Alabastra subrotunda: ovarium villosum: stigma truncatum.

Obs. Species ad praecedentem quodammodo accedens, ab eâ tamen longe diversa. Venulosum foliorum reticulum in hac paullo minus quam in illâ distinctum; venae vero prima-

riae (in paginâ praesertim inferiore) paullo magis prominentes.

67. ACHRAS FERRUGINEA.

A. foliis longiuscule petiolatis, obovato-oblongis vel obovato-ellipticis, apice obtusis vel rotundatis, basi acutiusculis subinaequalibusque, subundulatis, supra glabris lucidis, subtus pube atro-ferrugineo-sericeâ minutissimâ obductis demum glabratis, nervis arcuatim parallelis subtus prominentibus; floribus axillaribus aggregatis pedunculatis, petiolo multo brevioribus, tetrameris; foliolis calycinis extrinsecus pedunculisque adpresse atro-ferrugineo-sericeis; corollae lobis lacinulisque intermediis margine dense villosociliatis; fructibus

Habitat in sylvis arenosis maritimis (vulgo *restingas*) prope *Rio de Janeiro*.

Arbor: ramuli petiolique pube atro-ferrugineâ minutissimâ obducti, demum glabrati. Folia $3\frac{1}{2}$ - 5 poll. et ultra longa, $1\frac{1}{4}$ - $2\frac{1}{4}$ poll. lata: petioli 1 - 2 poll. longi. Alabastra obovata. Stigma truncatum.

68. CHRYSOPHYLLUM PARVIFLORUM.

C. ramulis novellis calycibusque ferrugineo-subtomentosis; foliis late oblongis obovatove-ellipticis, apice saepius emarginulatis, glabris, glaucescentibus, tenuissime ac parallele venosis, venis valde inter se proximis, supra magis quam subtus conspicuis ac cum nervo medio impressis; florum glomerulis axillaribus lateralibusque compactis petiolo brevioribus; fructu

Habitat in Brasiliae provinciâ *Minas Geraes* (Claussen).

Folia 1-2 poll. longa, 6-10 lin. lata, subcartilaginea: petioli 2-4-lineares. Flores exigui: corolla calycem parum superans, valde caduca: stigma sessile.

69. CHRYSOPHYLLUM LANCEOLATUM.

C. foliis breviter petiolatis, lanceolatis, junioribus utrinque pube adpressâ minutissimâ aspersis, subinde glabris; floribus axillaribus pedunculatis, paucis aggregatis vel solitariis; pedunculis petiolo sublongioribus; fructu

Crescit in sylvis primaevis circa *Rio de Janeiro*.

Arbor. Folia (cum petiolo 2-4-lineari) 2-5 poll. longa, 7-14 lin. lata. Pedunculi subcernui. Foliola calycina subrotunda, corollâ dimidio breviora: ovarium adpresse pilosum: stylus conico-subulatus.

70. BUMELIA RHAMNOIDES.

B. ramulis saepe spinescentibus; foliis obovatis vel late obovato-ellipticis, apice rotundatis saepiusque emarginatis, basi in petiolum cuneato-attenuatis, glabris; floribus axillaribus aggregatis pedunculatis; pedunculis petiolos subaequantibus, adpresse pilosiusculis, subinde glabratis; foliolis calycinis rotundatis, margine scariosis, glabris.

Reperi in maritimis circa sinum Fluminense, atque ad ripas lacus *Taypú* in ipsâ provinciâ *Rio de Janeiro*.

Arbor parva vel frutex arborescens. Folia 1 $\frac{1}{2}$ -2 poll. longa, 10-15 lin. lata: petioli 2-4-lineares. Florum fasciculi per totam ramulorum longitudinem dispositi. Fructus glabri, stylo acuto longiusculo apiculati.

DECAS VIII.

—

MENSE JUN. 1844.

—

71. CARYOCAR EDULE.

C. foliis 3 – foliolatis, foliolis breviter petiolulatis, ovatis, basi obtusis vel acutiusculis, apice subabrupte acuminatis, margine late irregulariterque crenatis, utrinque glabris; foliolis aliis 4 in appendices totidem parvissimas cirriformes abortu mutatis.

Nom. vulg. *Piqui*.

Crescit in arenosis maritimis prope *Rio de Janeiro*, rara (Riedel).

Arbor (teste mihi clar. *Riedel*) floribus albis fructuque eduli praedita. Foliola membranacea penninervia, nervo medio lateralibusque venisque intermediis subtus prominulis. Flores racemosi terminales: pedunculi glabri, apice articulati, circa medium vel apicem versus 1-2-bracteolati, bracteolis minimis deciduis.

Obs. Species foliolorum formâ atque glabritie accedens ad *Saouari glabram* Aubl. guian. 1. p. 599. tab. 240. (*Caryocar glabrum* Pers.); at vero appendicibus cirriformibus supra notatis plane distincta. Hae constant foliolis 4 minimis sessilibus lineari-lanceolatis ramentaceis concavis circinatis petioli communis apice insidentibus, quae tanquam foliola abortiva considero instar eorum quae inspiciuntur in *Schmideliâ heterophyllâ* Cambess., quam stirpem in Brasiliâ ipse quidem observavi. Quum de caractere tam magni momenti nulla tum in icone tum in descriptione plantae Aubletianae mentio fiat, meam hanc stirpem veluti ab eâ diversam ac proinde novam proponere nequaquam vereor.

Diagnosis ex unico exemplari.

72. PISONIA PALICUREOIDES.

P. inermis, glaberrima; ramulis junioribus pedunculisque compressis; foliis petiolatis oppositis suboppositisve, suboblique ellipticis vel oblongo-ellipticis lanceolatisve, utrinque obtusis vel acutiusculis; cymis terminalibus, longe pedunculatis, laxiusculis; pedicellis inaequalibus divaricatis.

Bessera calycantha Vell. *Fl. Flum. icon. vol. IV. tab. 2.*
Reperi in montibus *Corcovado*, *Gavia*, *Babylonia* prope *Rio de Janeiro*.

Frutex quandoque arborescens: rami dichotomi. Folia crassiuscula vel crassiuscule membranacea, valde caduca, $2\frac{1}{2}$ -6 poll. longa, $1\frac{1}{4}$ -2 poll. lata, venis primariis utrinque parum manifestis: petioli 5-10 lin. longi. Calyces fructiferi ovato-oblongi, apice constricti, nigro-coerulescentes, laeves.
Obs. Exemplaria exsiccatione in herbario paullulum nigrescunt.

73. PISONIA CAFFERANA.

P. inermis; ramulis junioribus pedunculisque minutissime puberulis; foliis breviter petiolatis, oppositis, ovato-obovato-oblatis, utrinque obtusiusculis, subaveniis, glabris; cymis alaribus terminalibusque corymbiformibus, longiuscule pedunculatis, gracillimis, laxiusculis.

Reperi in sylvis montis *Corcovado* prope *Rio de Janeiro* eum praecedente.

Arbor, sive frutex arborescens. Folia $1\frac{1}{2}$ - $2\frac{1}{2}$ poll. longa, 9-12 lin. lata: petioli 2-3-lineares.

Obs. Exemplaria exsiccatione in herbario paullulum nigrescunt.
Dicavi strenuo zoologo jucundissimoque mihi in Brasiliensi

itinere socio, *Antonio Caffer* Pedemontano; comi quo, illas omnigenis naturae divitiis uberrimas oras feliciter perlustravi.

74. PISONIA PERNAMBUCENSIS.

P. inermis, glaberrima; foliis oppositis, breviter petiolatis, suboblique ovatis, apice obtusis vel obtusiuscule acuminatis, basi rotundatis subcordatisve; cymis terminalibus, breviuscule pedunculatis, gracilibus; pedicellis divaricatis.

Reperi circa urbem *Pernambuco*.

Arbor: rami di-trichotomi. Folia $1\frac{1}{2}$ - $2\frac{1}{2}$ poll. longa, 12-16 lin. lata: petioli 1-2-lineares.

Diagnosis ex unico exemplari.

75. PISONIA TOMENTOSA.

P. inermis; ramulis junioribus pedunculisque pube hirtellâ rufo-tomentosis; foliis oppositis suboppositisve, breviter petiolatis, suboblique ac late oblongis, margine valde revolutis, supra inflato-bullatis ac pube brevi rariusculâ obductis, subtus rufo-tomentosis; cymis alaribus terminalibusque, breviuscule pedunculatis.

Habitat in provinciâ *Minas Geraes* (Claussen).

Rami di-trichotomi. Folia $1\frac{1}{4}$ - $2\frac{1}{2}$ poll. longa, 7-10 lin. lata: petioli 1-3-lineares. Flores paullulum compacti, exterius puberuli.

Obs. Tomentum ramulorum paginaeque inferioris foliorum constat pilis densis, valde intricatis, ac (sub lente) nodoso-moniliformibus, longitudinali nempe transparentium cellularum serie compositis.

76. COCCOLOBA SCANDENS.

C. foliis petiolatis obovatis vel obovato-oblongis, utrinque obtusiusculis, coriaceis, supra glabris nitidis, subtus venoso-reticulatis opacis ac (sub lente) minutissime pruinoso-puberulis; racemis folia subaequantibus.

Crescit ad ripas fluminis *Parahyba* in Brasiliâ tropicâ (Riedel).

Frutex scandens (ex Ried.): rami teretes, minutissime verruculosi. Folia 2-3 poll. longa, 1-1 $\frac{1}{2}$ poll. lata: petioli 4-6 lin. longi. Flores (ex Ried.) albidi.

Diagnosis ex unico exemplari.

77. COCCOLOBA VELLOSIANA.

C. foliis petiolatis obovatis, apice rotundatis vel breviter acutis, basi subabrupte ac plus minusve obtusis, margine subrevolutis, coriaceis, glaberrimis, supra nitidiusculis, parallele nervosis, ac saepius transverse secus nervos ipsos rugoso-complicatis; racemis folio longioribus, densifloris, glaberrimis.

Polygonum frutescens Vell. Fl. Flum. icon. vol. IV. tab. 44.

Habitat in arenosis maritimis et collibus siccis circa *Rio de Janeiro* (Riedel).

Frutex subscandens (ex Ried.): rami elongati, obtuse trigoni, in extremitatibus flexuosi, epidermide in junioribus ramis facile secedente: ramuli laterales floriferi ad angulum rectum dispositi, abbreviati, ochreis valde approximatis undique tecti. Folia 2 $\frac{1}{2}$ -4 poll. longa, 1 $\frac{1}{2}$ -2 $\frac{1}{4}$ poll. lata: petioli 4-6 lin. longi. Flores (ex Ried.) albidi.

Obs. Exemplaria hujus plantae exsiccata, quae coram habeo, colore veluti cinnamomino suffusa.

78. COCCOLOBA ALNIFOLIA.

C. foliis petiolatis obovato-rotundis, apice abrupte cuspidato-acuminulatis, basi subpeltatis brevissimeque cordatis, cartilagineis, glabris, laminâ inflato-bullatâ ac basi paullulum contractâ, nervo medio lateralibusque venisque intermediis supra impressis, subtus prominentibus, reliquâ superficie utrinque (sub lente praesertim) tenuissime venuloso-reticulatâ; racemis folio multo longioribus, minutissime (sub lente) pruinosis, gracilibus, laxis.

Reperi in sylvulis arenosis maritimis (vulgo *Restingas*) prope *Rio de Janeiro*.

Frutex arborescens: ramosissimus: ramî dichotomi, teretes, striato-subrimosi. Folia $2 \frac{1}{4}$ - $3 \frac{1}{2}$ poll. longa, $1 \frac{3}{4}$ - $3 \frac{1}{4}$ poll. lata, margine saepe late irregulariterque reflexa, glaberrima, vel subtus dumtaxat secus nervum medium lateralesque puberula: petioli 4-6 lin. longi.

An satis distincta a *C. cordatâ* Cham. in *Linnaea* 8. p. 133?

79. COCCOLOBA LAEVIS.

C. foliis petiolatis late ovatis vel ovato-rotundis, apice obtusis, basi subcordatis, margine subrevolutis, coriaceis, glaberrimis, utrinque nitidiusculis, laevibus, nervis lateralibus paucis tenuibus ac saepe parum conspicuis; racemis folio multo longioribus.

Reperi in insulâ *Itaparica* ad ostium sinus Bahiensis, in maritimis arenosis.

Frutex: rami subdichotomi, teretes. Folia 3- $3 \frac{1}{2}$ poll. longa, 2- $2 \frac{1}{2}$ poll. lata: petioli 3-4-lineares.

Diagnosis ex unico exemplari.

80. COCCOLOBA MOLLIS.

C. ramulis novellis sericeo-villosis; foliis amplis petiolatis cordato-rotundis, apice breviter acutiusculis, basi subpeltatis, membranaceis, supra secus nervos praesertim puberulis, subtus cum petiolo pubescentibus, parallele nervosis, nervis subtus prominulis; racemis paniculatis.

Reperi in insulâ *Itaparica* ad ostium sinus Bahiensis, in maritimis arenosis.

Frutex: rami teretes. Folia mollia, 4-6 $\frac{1}{2}$ poll. longa, 3-5 poll. lata: petioli 9-12 lin. longi.

Diagnosis ex unico exemplari.

DECAS IX.

—

MENSE AUG. 1845.

—

81. THOUINIA MORISIANA.

T. foliis simplicibus obovato-oblongis, apice obtusis vel acutiusculis, inferius cuneatis, margine dentato-serratis, glabris; spicis axillaribus subsimplicibus; floribus 5-petalis.

Habitat in sylvis primaevis provinciae *Rio de Janeiro*.

Arbusecula dioica?, tum foliorum tum spicarum subamentiformium formâ *Castaneam sativam* quodammodo referens. Folia 6-10 poll. longa, 2-5 poll. lata, petiolata, remotiuscule et aliquando ample dentato-serrata, basi subintegerrima, utrinque glabra, subtus tamen pallidiora ac pilis perraris malpighiaceis centro affixis valdeque fugacibus (sub lente dumtaxat perspicuis) aspersa, penninervia, nervis subtus prominentibus: petioli 1-2 poll. longi, apice paullulum contorti ac instar *Schmideliae heterophyllae* Cambess. necnon *Schmideliae dioicae* Mart. (*Thouiniae dioicae* Nees et Mart. in Nov. Act. Nat. Cur. XII. p. 21. tab. IV.) binos in denticulos vel cuspidulas excurrentes, quas veluti foliola lateralia abortiva folii trifoliolati in hac ipsâ plantâ considerare omnino fas est. Flores (masculi tantum mihi in promptu erant) secus spicas simplices seu vix basi ramosas graciles laxas foliaque subaequantes sparse glomerulati, parvi. Calyx 5-lobus, lobis rotundatis, aestivatione quincunciali imbricatis, 2 nempe interioribus, 2 exterioribus, 1 semiexteriore. Corolla 5-petala rosea, petalis oblongis, calyce 5-4-plo longioribus, basi inter se leviter adnatis ac intus inferne barbatis, aestivatione modo dextrorsum, modo sinistrorsum subcontorte imbricatis. Discus annularis inter petala et sta-

mina subinteger. Stamina 6, petala aequantia, filamentis glabris, antheris ovatis. Rudimentum ovarii nullum.

In obsequium dixi praecclarissimi viri Eq. JOSEPHI MORISII Prof. Taurinensis, cujus perdoctis operibus jure plaudunt botanici omnes, et cujus singularem humanitatem nos ipsi sumus experti.

82. TRIGONIA RYTIDOCARPA.

T. foliis oblongo-ovatis obovatisve vel obverse lanceolatis, apice acuminatis, basi acutiusculis, supra glabris, subtus puberulis glabratisve; capsulis ovatis, exterius tuberculato-rugosis ac rufo-tomentosis, intus albo-sericeis, valvis integris.

Crescit in collibus apricis circa *Rio de Janeiro*.

Frutex subscandens: ramuli verruculoso-punctati. Folia petiolata, acumine paullulum distorto praedita, supra nitidiuscula, subtus lanugine albido-cineraceâ subinde evanescente leviter suffusa, 2-4 poll. longa, 1-1 $\frac{3}{4}$ poll. lata: petioli 4-6-lineares. Racemi axillares terminalesque paniculati, rachis calycibusque minutissime puberulis.

Obs. Proxima *T. crotonoidi* Cambess. (quam circa *Rio de Janeiro* minime raram ipse quidem observavi); differt vero foliis amplioribus, capsulis grandioribus exterius tuberculato-rugosis nec dumtaxat verruculoso-punctatis, intus nitide albo-sericeis nec glabris, valvis denique integris haud vero apice emarginato-bifidis.

83. RHAMNUS ARENICOLA.

R. subspinosa; foliis breviter petiolatis, alternis vel suboppositis, elliptico-rotundatis, apice emarginatis mucronulatisque, integerrimis, coriaceis glabris; floribus axillaribus 1-3-fasciculatis sessilibus; fructibus globosis umbilicatis.

Reperi in arenosis maritimis circa *Rio de Janeiro*.

Frutex 2-4-pedalis: rami juniores angulati inermes, veteres spinescentes; spinae ex inferiorum foliorum axillis non floriferis prodeuntes, solitariae, patulae. Folia rotundata vel late ovato-obovato-elliptica, plus minus profunde emarginata ac interdum fere obcordata, utrinque tenuissime ac subparallele venosa, 1-1 $\frac{1}{4}$ poll. longa, 9-12 lin. lata: petioli 1-2-lineares. Flores parvi virescentes. Calyx urceolatus 5-fidus, laciniis deltoideis, interius apice callosis medioque carinatis, erectis, fructiferis patulis: petala 5 brevia unguiculata emarginata subconvoluta: discus tenuissimus sive subnullus.

84. EUGENIA MYRIOPHYLLA.

E. ramosissima, foliosissima; foliis subulato-linearibus, in ramis vetustioribus sparsis, in juniorum apice alternis oppositisve vel ternato-verticillatis, margine revolutis, (sub lente) pellucido-punctatis, glabris; floribus in axillis foliorum superiorum solitariis pedunculatis paucis; pedunculis folio multo brevioribus.

Habitat in montibus vulgo *Serra da Caraça* in provinciâ *Minas Geraes* (Claussen).

Frutex erectus, ericoideus: ramuli juniores summo vertice pedunculique adpresse puberuli. Folia tenuia, in petiolum tam brevem attenuata ut sessilia prorsus appareant, petioli ipsius apice articulata, 9-12 lin. longa, $\frac{1}{2}$ lin. lata. Flores exigui, calyce 4-partito, corollâ 4-petalâ, petalis albis rotundis concavis, margine ciliolatis, cum calyce (sub lente) pellucido-punctatis. Fructus non vidi.

85. SENECIO ORGANENSIS.

S. caule erecto striato ramoso; foliis petiolatis late ligulato-oblongis vel obverse lanceolatis, apice acutis, inferius subcuneatis, dentatis penninerviis co-

riaceis glabris; corymbis terminalibus compositis amplis, rhachi minutissime glanduloso-pruinosa; floribus radiatis; involucri calyculati campanulati squamis haud sphacelatis; acheniis glabris.

Reperi in altioribus praeruptisque jugis montium *Serrados Orgãos* extra superiorem sylvarum primaevarum limitem.

Folia nervo marginali crassiusculo ac subrevoluto circumdata, dentibusque subcallosis praedita. Flores lutei.

86. JABOROSA MONTEVIDENSIS.

J. ramosissima, pulverulento-puberula; foliis parvis oblique ovato-rotundatis subcordatis integerrimis; calycibus 5-partitis; fructibus oblongis.

Reperi circa *Montevideo*.

Herba dichotome ramosa, diffusa vel erectiuscula. Folia 3-5 lin. longa, 2-5 lin. lata, in petiolum decurrentia. Flores extraxillares sive potius laterales, solitarii pedunculati cernui: pedunculi petiolum aequantes vel paullo longiores. Corolla tubuloso-infundibuliformis, multo calyce longior, alba, tubo intus prope basin circum barbato, limbo 5-lobo primum erecto, subinde reflexo: filamenta medio tubi inserta eique adnata, non nisi tubi apicem versus libera, filiformia: antherae terminales lineares, longitudinaliter dehiscentes, corollae vix limbum aequantes: stylus inclusus: stigma peltato-depressum. Tota planta pube pulverulentâ tenuissimâ obducta.

87. STEMODIA CRUCIFLORA.

S. puberula; caule suffruticoso erecto; foliis ternis petiolatis ovato-rhombicis, subduplicate dentato-serratis, basi integerrimâ cuneatis ac in petiolum

decurrentibus; pedunculis axillaribus solitariis, folia subaequantibus; calycibus ebracteatis.

Legi ad margines viarum campestrium circa *Praia grande* et in monte *Corcovado* prope *Rio de Janeiro*.

Rami teretes debiles. Folia cum petiolo 1-2 poll. longa, $\frac{1}{2}$ -1 poll. lata, tenuia. Pedunculi filiformes: calyx usque ad basin 5-partitus, laciniis linearibus acutis subaequalibus, obsolete trinerviis. Corolla calyce duplo longior, caerulescens, limbi 4-lobi lobis subaequalibus retusis subcuneatis planis cruciformibus. Stamina prorsus inclusa. Stigma 2-fidum: capsula septicide 2-valvis, valvis apice loculicide 2-fidis. Tota planta pube tenuissimâ obducta.

Obs. Videtur proxima *S. jorullensi* H. B. et Kunth nov. gen. et sp. 2. p. 288.

88. TRIPLARIS MACROCALYX.

T. foliis ovatis, paullulum distorte complicatis, integerrimis glaberrimis, plicis lateralibus longitudinalibus nullis; floribus masculis; racemis foemineis axillaribus brevibus, pluribus simul coacervatis, perigonio glaberrimo.

Reperi in sylvulis arenosis maritimis (vulgo *restingas*) prope *Taypú* in provinciâ *Rio de Janeiro*.

Arbuscula. Folia breviter petiolata, late ovata, quandoque ovato-subcordatove-rotundata, apice acuta vel obtusiuscula, tenuissime utrinque ac parum conspicue venuloso-reticulata, supra intense virentia, subtus colore veluti obscure cinnamomino suffusa, subcoriacea, 3-4 poll. longa, 2-3 poll. lata: petioli circiter 3-lineares. Perigonii fructiferi lacinae exteriores oblongae obtusae, venoso-reticulatae, membranaceae, aridulae, nitidae, 1-1 $\frac{1}{2}$ poll. et ultra longae, 3-4 lin. latae: pedicelli circa medium articulati. Flores masculos non vidi.

89. *TRIPLARIS CRENATA.*

T. ramis novellis ferrugineo-tomentosis; foliis ovatis, margine undulato-crispatis ampleque crenatis, penninerviis, supra puberulis ac demum glabris, subtus pubescenti-tomentosis, plicis lateralibus longitudinalibus subnullis; floribus foemineis; racemis masculis axillaribus brevibus, pluribus simul coacervatis, rhachi perigonioque puberulis.

Crescit in sylvis circa *Rio de Janeiro*. (Riedel).

Arbor 40-pedalis (ex Ried.). Folia brevissime petiolata vel subsessilia, margine paullulum revoluta, transverse rugosoplicata, 2-3 $\frac{1}{4}$ poll. longa, 1-2 $\frac{1}{4}$ poll. lata. Flores rubri (ex Ried.). Flores foemineos non vidi.

Obs. Species a ceteris hujus generis adhuc cognitis foliis crenatis distincta.

90. *TROPHIS HILARIANA.*

T. foliis ovato-oblongis, dentato serratis.

Sorocea Aug. S.^t-Hil. in *Mem. du Mus. d'Hist. Nat.* VII. p. 473.

Nom. vulg. Botocudis *Soroco*, Paulistis *Cachim* (ex Aug. S.^t-Hil. l. c.).

In sylvis primaevis prov. *Rio de Janeiro*, S. Pauli et *Minas Geraes* secus fluvium *Rio Jiquitinhonha* (Aug. S.^t-Hil.): in monte *Corcovado* (Riedel): in sylvis maritimis vulgo *Restinga de Taupú* in prov. *Rio de Janeiro*, et in collibus circa oppidum *S. Amaro* in prov. Bahiensi (ego).

Arbor dioica. Folia *Castaneae sativae* similia, brevissime petiolata, glabra, 4-7 poll. longa, 1 $\frac{1}{4}$ -2 $\frac{3}{4}$ poll. lata, remotiuscule dentato-serrata, dentibus ut plurimum spinulosis: petioli 2-5-lineares. Racemi axillares: masculi longissimi, folia aequantes vel etiam superantes, graciles, laxi; foeminei folio multo breviores. Fructus externe rugulosi.

DECAS X.

—

MENSE SEPT. 1845.

—

CLELIA.

Flores. Legumen inarticulatum continuum rectum lignosum, intus farctum exsuccum, 2-valve, valvis ex apice ad basin regulariter ac subelastice dehiscentibus, endocarpio lignoso-suberoso, seminum sede profunde foveolato. Semina plura, funiculo brevi pendula, oblonga, crassa, verticaliter compressa, lineolis 3 mediis longitudinaliter circum areolata, unaquaque facie singulis valvarum suturis opposita, nuda, exarillata. Testa cartilaginea, embrionem album arcte obvolvens. Embryo semini conformis, exalbuminosus: cotyledones crassae.

Genus affine *Ingae* Plum., sed fructus structurâ plane distinctum: legumine nempe lignoso, non coriaceo; valvis liberis ac regulariter dehiscentibus, nec transverse spurieque interseptis vixque dehiscentibus; seminibus pendulis ac nudis, haud vero horizontalibus neque pulpâ aut pelliculâ farinâve ullâ obvoluti. Equidem ego genus *Ingam* considero non quale a Willdenowio et Candolleo constitutum est, qui sub eodem (ex sententiâ imprimis cel. Martii) stirpes fructus structurâ, necnon habitu diversissimas ac in plura genera distinguendas comprehenderunt; sed quale nuperius definitum est ab ipso quidem Martio, qui eum arctioribus aequioribusque finibus (primum a Plumerio delineatis) optime cir-

cumscripsit*. Videtur autem fieri posse ut nonnullae *Ingae* species ab Auctoribus recensitae, eae praesertim quae foliis *tergeminis* praeditae sunt, quarum vero fructus structura hactenus parum cognita est, ad hoc novum meum genus sint serius referendae.

Dicavi nobilissimae matronae CLELIAE DURAZZO-GRIMALDI Genuensi, cujus, nostrâ memoriâ, impensi in rem herbariam studii argumentum exstît amoenissimus Pelianus ille rarioribus stirpibus prope Genuam consitus hortus, deinde praeclariorum erga eam botanicorum obsequium, ditissimum denique herbarium et bibliotheca, quibus patriam, ut in publicam verterentur utilitatem, obiens munificavit.

91. CLELIA ORNATA.

Reperi in insulis sinus Fluminensis (*bahia do Rio de Janeiro*).

Frutex elegans, foliis tergeminis, foliolis subsessilibus subdimiato-ovatis obtusis, apice obsolete retusis mucronulatisque, exquisite utrinque venoso-reticulatis, glabris, rare (sub lente) pellucido-punctatis, subtus pallidioribus; capitulis axillaribus, pedunculatis; leguminibus teretibus 2-5-spermis, valvis maturitate arcuato-corniculatim hiantibus.

92. OMPHALOBIUM COMANS.

O. ramulis floriferis inferius nudis, apice comantibus; foliolis 3-5-jugis, oblongo-lanceolatis, apice longe acuminatis, margine subundulatis, submembranaceis glabris; racemis paniculatis, in apice ramulorum e veteribus foliorum axillis prodeuntibus, fasciculatis.

* Confer *Beiblätter zur Flora 1837. vol. 2. p. 113.*

Reperi in sylvis circa *Rio de Janeiro*.

Frutex subscandens. Foliola opposita vel subopposita, petiolulata translucida. Racemorum rhachis sparse puberula, vel glabrata: flores albi: lacinae calycinae apice ciliato-puberulae: ovaria 5. Fructus maturos non vidi.

93. HENRIETTEA BRASILIENSIS.

H. ramulis petiolis pedunculis calycibusque exterius interiusque pube rufâ adpressâ strigosâ obductis; foliis ovalibus, utrinque acutiusculis, praeter nervulos 2 marginales triplinerviis, margine subrevolutis, utrinque setoso-scabris, supra viridibus glabris, subtus lutescentibus ac minutissime tomentosis; pedunculis 4-4 in veteribus foliorum delapsorum axillis fasciculatis; lobis calycinis petalisque exterius infra apicem corniculato-mucronatis.

Reperi in sylvis primaevis circa Bahiam.

Arbor 10-15-pedalis: ramuli subteretes, apicem versus foliosi. Folia petiolata integerrima, (sub lente) pellucido-punctata, supra setulis strigosis adpressis rigidis undique sparsis scabra ceterum glabra, subtus praeter setulas ipsas tomento substellato minutissimo obducta, 4-7 poll. longa, 2-3 $\frac{1}{2}$ poll. lata: petioli 5-10 lin. longi. Pedunculi 2-5-lineares, laxiusculi: calyx in alabastro obovatus, deinde campanulatus: petala alba crassiuscula unguiculata, basi cordata, utrinque adpresse villosa: antherae basi 2-fidae ac breviter 2-auriculatae, apice 1-porosae, violaceae: stylus pilosus. Fructus maturos non vidi.

94. MICONIA FLAMMEA.

M. ramulis petiolisque compressis; foliis magnis petiolatis integerrimis, praeter nervulos 2 marginales

triplinerviis, supra glaberrimis nitidis, subtus minutissime rubiginoso-tomentosis; paniculis magnis terminalibus; fructibus globosis pruinoso-pulverulentis.

Habitat in provinciâ *Minas Geraes* (Riedel).

Frutex arborescens (ex Ried.): ramulis cum petiolis ac paniculae rhachi pube pruinoso-ferrugineâ minutissimâ obducti. Folia cartilagineo-coriacea, arefactione margine revoluta, subtus colore flammeo-rubiginoso pulvere suffusa, 7-13 poll. longa, 3-6 poll. lata, nervis longitudinalibus transversisque subtus valde prominentibus: petioli 1-1 $\frac{1}{2}$ poll. longi. Paniculae pyramidatae ramuli subtetragoni, erecto-incurvati. Fructus sessiles, Pipere nigro paullo majores, (maturi) 2-spermi: semina subhemisphaerica crustacea nitida, superficie convexâ longitudinaliter obscure sulcata. Flores non vidi.

95. POROPHYLLUM CAESIUM.

P. erectum ramosum glabrum caesium; foliis sparsis linearibus crassiusculis integerrimis, apice glanduloso-callosis, ceterum eglandulosis; acheniis scabris.

Habitat in provinciâ *Minas Geraes* (Claussen).

Caulis herbaceus videtur. Folia exsiccatione margine convoluta subfiliformia. Pedunculi 1-2-bracteolati: involucri squamae pappo aliquantulo breviores. Tota planta, caulis nempe folia atque involucrum, rore caesio subinde evanescente obducta.

Obs. Pertinet ad sect. 1. § 2. in Prodro-mo Candolleano.

96. FLOTOVIA FLAGELLANS.

F. ramulis junioribus pedunculisque rufo-tomentosis; aculeis rectis reflexis, basi coalitis; foliis subsessilibus, ovato-lanceolatis, basi obtusis, apice acu-

minatis spinosisque, paullo supra basin tripliner-
viis, utrinque pubescentibus, senio glabratis mu-
ticisque; involucri hemisphaerico-campanulati squa-
mis spinuloso-mucronatis.

Habitat in provinciâ *Minas Geraes* (Claussen).

Frutex diffusus ramosissimus valdeque foliosus: ramuli hori-
zontaliter porrecti. Folia $1\frac{1}{4}$ - $1\frac{3}{4}$ poll. longa, 7-10 lin.
lata. Capitula in apice ramulorum 2-4 subumbellato-corym-
bosa.

97. DITAXIS SIMONIANA.

D. foliis alternis lanceolatis, in petiolum attenuatis,
inconspicue remoteque denticulatis, supra glabri-
usculis, subtus pilosis; floribus foemineis eglandu-
losis, seminibus reticulato-rugosis.

Reperi in sylvis caeduis montis *Corcovado* prope *Rio de Janeiro*.

Frutex 2-4-pedalis, ramosus: rami cineracci. Folia cum pe-
tiolo 3-5 poll. longa, 1-2 poll. lata, 2-stipulata, mem-
branacea, colore rubro-violaceo leviter suffusa, magis sub-
tus quam supra pilosa, pilis adpressis, centro affixis, mal-
pighiaceis, valde fugacibus: ejusmodi pilis instructi quoque
sunt ramuli juniores, petioli, pedunculi, calyx, petala et
fructus. Flores pentameri decandri, rarius tetrameri octan-
dri, monoici. Pedunculi communes axillares, valde abbre-
viati, multibracteati, pauciflori, flore foemineo unico longi-
uscule pedicellato, masculis 2-3 subsessilibus ac cito deci-
duis. Petala rubra: floris foeminei fugacissima.

Dicavi egregio viro atque eruditissimo Aloysio Vincentio *De-
Simoni* Liguri, medico in urbe *Rio de Janeiro* maxime
praeclaro, qui inter alias plurimas tum medici tum litterarii
argumenti eximiam de *Pão Pereira* edidit dissertationem in
Diario cui titulus « *Revista Medica Fluminense* » vol. III.

fasc.º 11.º Febr. 1838. p. 340; et cujus summam erga me, dum illic morabar, humanitatem gratâ usque prosequar recordatione.

98. PHYLLANTHUS ARENICOLA.

P. multicaulis; caulibus assurgentibus ramosis teretibus, minutissime puberulis; ramulis pinnaeformibus; foliolis alternis subsessilibus, oblique ovato-cordatis acutis, utrinque minutissime puberulis, subtus subcineraceis; rhachi angulato-flexuosâ; floribus axillaribus subsolitariis, masculis subsessilibus, foemineis longius pedicellatis; capsulis depressis, seminibus longitudinaliter striatis.

Reperi in sylvulis arenosis maritimis (vulgo *restingas*) prope *Taypú* in provinciâ *Rio de Janeiro*.

Herba suffruticulosa, pedalis, annua sive forte biennis: rami admodum tenues. Folia $1\frac{1}{2}$ -3 lin. longa, 1-2 lin. lata, disticha.

99. CROTON MIGRANS.

C. foliis breviter petiolatis, oblongis integerrimis complicatis, supra glabris virentibus, subtus aureo-lepidotis punctatisque, eglandulosis; racemis masculis spicatis terminalibus brevissimis paucifloris.

Reperi in sylvulis arenosis maritimis (vulgo *restingas*) in provinciâ *Rio de Janeiro*. Accepi etiam ex interiore Brasiliae provinciâ *Minas Geraes* a Claussen.

Fruticulus erectus ramosissimus 2-3-pedalis elegans (an dioicus?): rami dichotomi teretes; juniores cum petiolis, racemorum rhachi floribusque aureo-lepidoti punctati. Folia parva, supra saturate virentia ac primâ fronte glabra, acutissimae ope lentis tamen minutissimâ pube suffusa, 5-12 lin. longa, $1\frac{1}{2}$ -3 lin. lata: petioli supra sulcati, 1-1 $\frac{1}{2}$ -

lineares. Racemi masculi 3-7-flori: singuli pedicelli basi 3-bracteolati: petala obovata, exterius lepidota, margine et intus basi ciliato-barbata.

Obs. Inter litoralia et mediterranea hujus plantae exemplaria nullam prorsus invenio differentiam.

100. CROTON SALUTARIS.

C. ramis novellis compresso-trigonis; foliis longe petiolatis, cordatis acuminatis integerrimis, basi 3-5-nerviis, supra punctatis scabris, subtus argenteo-lepidotis nitentibus sanguineoque-punctatis; glandulis basilaribus binis peltatis; racemis terminalibus; stylis multipartitis.

Nom. vulg. (Iusitanice) *Sangue de Drago*.

Reperi in montibus *Serra dos Orgãos* in provinciâ *Rio de Janeiro*.

Arbor sive frutex arborescens: rami novelli, folia subtus, petioli, racemorum rhachis, calyx fructusque argenteo-lepidoti sanguineoque-punctati. Folia membranacea, basi 2-stipulata, senio margine subrepanda, 3-9 poll. longa, $1\frac{3}{4}$ -6 poll. lata: petioli $1-6\frac{1}{2}$ poll. longi, supra sulcati: stipulae lineares caducissimae. Flores masculi et foeminei in racemis terminalibus diverse dispositi: masculi superiores, numerosiores, sparsim fasciculati, 15-andri, in alabastro globosi, calyce deinde irregulariter dehiscente 5-fido, petalis oblongis vel oblongo-subspathulatis margine ciliato barbatis, albis: foeminei inferiores pauci singuli, calyce oblongo 5-partito.

Obs. Ex hujus plantae cortice vulnerato gummi-resina fluit sanguinei coloris ac valde similis *Sanguini Draconis* (*Pterocarpo Draconi* L.), quâ gummi-resinâ Brasiliae incolae variis in morbis tanquam illi succedaneâ uti solent.

Vid. per delegazione del Rev.^{mo} Vic.^o Gen.^{le}

F. FELICE di Genova Minore Oss.

Rev. Ecclesiastico

V. per la stampa

G. C. GANDOLFI

Rev. per la Grande Cancelleria.

INDEX SYSTEMATICUS

DECADIS I-X.

JUXTA ORDINEM PRODROMI CANDOLLEANI.

DILLENIACEAE.

<i>Davilla latifolia Casar.</i>	Pag.	19.
» <i>Itaparicensis Casar.</i>	»	19.

POLYGALAEAE.

<i>Polygala pachyrrhiza Casar.</i>	»	20.
--	---	-----

MALVACEAE.

<i>Pavonia monatherica Casar.</i>	»	57.
» <i>lappacea Casar.</i>	»	57.
» <i>glomerata Casar.</i>	»	58.
» <i>microphylla Casar.</i>	»	58.
» <i>procumbens Casar.</i>	»	59.

BOMBACEAE.

<i>Pachyra cyathophora Casar.</i> (<i>err. typogr. Pachira</i>).	»	21.
» <i>stenopetala Casar.</i> (<i>err. typogr. Pachira</i>).	»	21.

TERNSTROEMIACEAE.

<i>Kielmeyera membranacea Casar.</i>	»	59.
--	---	-----

CLUSIACEAE.

<i>Clusia mammosa Casar.</i>	»	60.
--	---	-----

<i>Clusia Ganabaria Casar.</i>	Pag.	60.
» <i>rupicola Casar.</i>	»	61.

HIPPOCRATEACEAE.

<i>Trigonia rytidocarpa Casar.</i>	»	76.
--	---	-----

RHIZOBOLAEAE.

<i>Caryocar edule Casar.</i>	»	67.
--	---	-----

SAPINDACEAE.

<i>Paullinia coriacea Casar.</i>	»	27.
» <i>erythrocarpa Casar.</i>	»	27.
» <i>marginata Casar.</i>	»	28.
» <i>ferruginea Casar.</i>	»	28.
<i>Serjania marginata Casar.</i>	»	44.
<i>Thouinia macroptera Casar.</i>	»	45.
» <i>Morisiana Casar.</i>	»	75.
<i>Tulicia Brasiliensis Casar.</i>	»	45.
<i>Cupania sylvatica Casar.</i>	»	46.

MELIACEAE.

<i>Cabralea inaequilatera Casar.</i>	»	22.
» <i>tomentosa Casar.</i>	»	22.
<i>Trichilia multiflora Casar.</i>	»	23.

HUMIRIACEAE.

<i>Humirium dentatum Casar.</i>	»	39.
---	---	-----

TROPAEOLEAE.

<i>Tropaeolum Brasiliense Casar.</i>	»	9.
--	---	----

SIMARUBEAE.

<i>Simaba longifolia Casar.</i>	»	9.
» <i>laevis Casar.</i>	»	10.
» <i>Maiana Casar.</i>	»	10.

RHAMNEAE.

Rhamnus arenicola *Casar.* Pag. 76.

CONNARACEAE.

Omphalobium comans *Casar.* » 84.

LEGUMINOSAE.

Lupinus chrysomelas *Casar.* » 52.

CHRYSOXYLON *Casar.* » 59.

» Vinhatico *Casar.* » 59.

ELELIA *Casar.* » 83.

» ornata *Casar.* » 84.

MELASTOMACEAE.

Henriettea Brasiliensis *Casar.* » 85.

Miconia flammea *Casar.* » 85.

MYRTACEAE.

CARINIANA *Casar.* » 55.

» Brasiliensis *Casar.* » 56.

» excelsa *Casar.* » 46.

Eugenia rotundifolia *Casar.* » 40.

» myriophylla *Casar.* » 77.

Calyptranthes dichotoma *Casar.* » 47.

PORTULACACEAE.

Portulaca eriophora *Casar.* » 25.

RUBIACEAE.

Cinchona Riedeliana *Casar.* » 11.

COMPOSITAE.

Chaptalia araneosa *Casar.* » 11.

Senecio Organensis *Casar.* » 77.

Porophyllum caesium *Casar.* » 86.

Flotovia flagellans Casar. Pag. 86.

VACCINIÆÆ.

Gaylussacia rigida Casar. » 40.

MYRSINEACEÆ.

Myrsine Bahiensis Casar. » 53.

» *fragilis Casar.* » 53.

» *Capororoeca Casar.* » 54.

» *glauca Casar.* » 54.

» *laurifolia Casar.* » 55.

» *neriifolia Casar.* » 55.

» *maritima Casar.* » 56.

SAPOTACEÆ.

Achras Guapeba Casar. » 61.

» *laurifolia Casar.* » 62.

» *ferruginea Casar.* » 65.

Chrysophyllum glycyphloeum Casar. » 12.

» *parviflorum Casar.* » 63.

» *lanceolatum Casar.* » 64.

Bumelia rhamnoides Casar. » 64.

STYRACEÆ.

Symplocos arbutifolia Casar. » 50.

» *oblongifolia Casar.* » 51.

» *revoluta Casar.* » 51.

» *Estrellensis Casar.* » 52.

LOGANIACEÆ.

Strychnos Gomesiana Casar. » 14.

BIGNONIACEÆ.

Jacaranda Clausseniana Casar. » 55.

SOLANACEAE.

Jaborosa Montevidensis *Casar.* Pag. 78.

SCROPHULARIACEAE.

Stemodia cruciflora *Casar.* » 78.
 ? Schwenkia breviseta *Casar.* » 29.
 » longiseta *Casar.* » 30.

VERBENACEAE.

Aegiphila hirta *Casar.* » 47.
 » oleifera *Casar.* » 47.

NYCTAGINEAE.

Pisonia palicureoides *Casar.* » 68.
 » Cafferiana *Casar.* (*err. typogr. Cafferana*) » 68.
 » Pernambucensis *Casar.* » 69.
 » tomentosa *Casar.* » 69.

PETIVERIACEAE.

GALLESIA *Casar.* » 45.
 » Scorododendrum *Casar.* » 44.

POLYGONEAE.

Coccoloba scandens *Casar.* » 70.
 » Vellosiana *Casar.* » 70.
 » alnifolia *Casar.* » 71.
 » laevis *Casar.* » 71.
 » mollis *Casar.* » 72.
 Triplaris macrocalyx *Casar.* » 79.
 » erenata *Casar.* » 80.

EUPHORBIACEAE.

Alchornea Janeirensis *Casar.* » 15.
 » Iricurana *Casar.* » 24.
 REDIA *Casar.* » 51.

REDIA <i>tricoeca Casar.</i>	Pag.	52.
Ditaxis <i>Simoniana Casar.</i>	»	87.
Phyllanthus <i>arenicola Casar.</i>	»	88.
Croton <i>migrans Casar.</i>	»	88.
» <i>salutaris Casar.</i>	»	89.

FICEAE.

Ficus <i>arpazusa Casar</i>	»	15.
» <i>lanuginosa Casar.</i>	»	48.

ARTOCARPEAE.

Trophis <i>Hilariana Casar.</i>	»	80.
--	---	-----